

V
B
J
C
15526

I.


SCHEMA

INSTITUTIONIS & RESTAURATIONIS,

CANONICORUM REGULARIUM

Congregationis S. Salvatoris Lateranensis.




JOANNES
DE NIGRA VALLE,
ORD: PRÆMONSTRATENSIS
S.R.E. BIBLIOTHECARIUS.
In
SACRI & APOSTOLICI ORDINIS
CANONICORUM REGULARIUM
S. AUGUSTINI
Congregationis S. SALVATORIS Lateranensis,
GENEALOGIAM
Quàm plurimis ijsq; gravissimis & quidem
Externorum Authoritatibus
DILVCIDATVS.
Et per Canonicos Congregationis Cracoviensis
ejusdem Instituti,
Vitæ sanctitate, status eminentiâ, &
Doctrinæ soliditate insignes,
AMPLIATUS.
Tum etiam
Accommodatissimis suo assumpto & intentioni Schematibus
EXORNATUS.
nec non
Labore ac Studio
A.R.D. AQUILINI MICHAELIS GOR-
CZYNSKI, J.C. & S.Th: D. Canonici Re-
gularis Lateranensis,
Luci Publicæ
REOSTENSUS.
Anno Domini 1707.
Sculpt: Vilnæ


BIBLIOTH. UNIV.
JAGELLONICAE

OANNES de Nigra VALLE,
ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS, S.R.E. BIBLIOTHECARIUS

in Epilogo diversar. Chronic. Cap. 18 Epil. 13.
hæc in commendationem CANONICORUM REGULARIUM habet.



Rdo Canonicus in veteri Testamento à Levitis, quorum erat cum Ephod lineo in tabernaculo & in Templo Domini jugiter assistere, & ministrare, mysticè inchoatus est: à Ioanne Baptista inter vetus & novum Testamentum in prædicatione & Baptismo præostensus: in novo autem Testamento à Christo demonstratus, & à Marco Evangelista in Alexandria ordinatus: à Sanctis Basilio Cæsariensi, Augustino Hipponensi, Episcopis, illustratus: deum à Sancto Rufo Lugdunensi Episcopo reformatus: inter omnes Ecsiasticos Ordines sivè Religiones Primatum sive majoritatem obtinet ntiquitate, Doctrinâ, Regimine, Nobilitate, tq; Sanctorum numerositate.

1. Antiquitate; *siquidem ex Canonico Ordine omnium primao, cæteræ omnes Religiones veluti ex limpidissimo fonte quasi rivuli osluxerunt. Ex eo namq; primùm Monasticus Ordo traxit originem; m enim in primitiva Ecclesia ab eis, quibus erat cor unum & ania una in Domino, multi ad Professionem illam, quà quis se & sua o Christo reliquit, assidua prædicatione converterentur in sæculo, qui eo quod simplices & idiotæ erant, nec donum scientiæ aut linguarum Spiritu S. acceperant, non erant ad prædicandum & in Divinis ministrandum apti atq; idonei: electis illis omnibus, quibus inerat scienarum sive linguarum collata gratia ad evangelizandum, docendum, ac. Ministeriis obsequendum, nec non ad regimen animarum, & Sacraentorum administrationem, qui ex Apostolorum decreto Clerici seu Canoci nuncupati sunt, Angelicam vitam veluti Dei Ministri, ac dispentores Ministeriorum Dei, in communi ducentes, atq; in sortem Doini per paupertatis, castitatis, ac Obedientiæ Professionem assumpti: s reliquos simplices ac idiotas jussit Apostolica Institutio in Cœnobiis tra Urbium frequentias, solitarios, sub Prælato seu Abbate degere, ac*

in-

in humilitate & pœnitentiæ luctu, sua & aliena peccata plorando, frequenter pro Ecclesiæ statu, orare, operibus manuum & contemplationi insistere, ac operibus misericordiæ corporalibus operam dare. Hi profectò in veteri Testamento mysticam habuerunt præfigurationem à Filiis Prophetarum, qui juxta fluenta Jordanis, & in montibus solitariam vitam ducebant.

II. *Et quia Prophetæ communiter ex genere Sacerdotali seu Levitico erant, sicut Moyses, Aaron, Samuel, Ieremias & alij multi, vel ex Tribu Iuda, sicut David, Salomon, Isaias, & alij plures, cujus Tribûs proprium erat Filiis Israel præesse per regimen; & figurat Prælatos S. Ecclesiæ, & ambabus Tribubus scilicet Levi & Iuda designantur Clerici sive Canonici, quorum est sacrificare & animas regere; ideò Monachi dicuntur figurativè Filij Prophetarum, id est, Clericorum vel Canonicorum, quia in novo Testamento cessante figurâ, & succedente veritate, ex Regularibus Clericis seu Canonicis ab Apostolis per prædicationem & informationem, Originem habuerunt. Unde Bernardus in quadam Apologia ipsum Monasticum Ordinem primum esse dixit, cujus Apostoli in Clericali scilicet vel Canonico constituti, Institutores in Ecclesia fuerunt. Quare Ordo Monasticus primus est, qui in Ecclesia à Clericis Regularibus vel Canonicis Originem traxit. Monachi igitur à Clericis instituti, in Ægypto ab Antonio, in Thebaide ab Hilarione mirum in modum in Cænobiis & in solitudine aucti sunt. A præfato postmodum Basilio Cæsareæ Episcopo in Græcia, licet in parvo numero aliqualiter regulati; in Occidente postmodum à B. Benedicto reformationem simul & vivendi regulam susceperunt. Et licet aliqui ex ipsis Monachis per Papalem postea dispensationem ad Clericalem assumpti ex Privilegio Ordinem, in Pontifices electi fuerint, non docendi tamen sicut Canonici, sed plangendi habentes Officium, à prædicatione, & Sacramentorum administratione, sicut oves sub Clericorum Officio, & subditi sub Canonica Prælatione abstinere jubentur. Ex ipsa namq; Canonica plantatione, quasi exemplari quodam & deliciarum Paradiso 4tuor flumina Gihon, Phison, Tygris & Euphrates, 4tuor scilicet Mendicantium Ordines Originem traxerunt: Ordo videlicet Prædicatorum, Minorum, Eremitarum & Carmelitarum, qui sub exemplo & prædicatione, universam superficiem Ecclesiæ tanquam rosea flumina irrigare dicuntur.*

III. Doctrinâ *verò præfatus Ordo reliquis omnibus præfulget, quia ex eo innumerabiles fermè Doctores exierunt, quorum Nomina eligendo paucos de multis inferiùs describemus. Isti quippe sunt, qui hominum corda ad Catholicam fidem & Christianam religionem, tanquam tonitrua magna, suis prædicationibus converterunt, qui sanctam contra hæreticos*

dispu-

disputando, firmaverunt Ecclesiam, & veluti splendor firmamenti ac stellæ in perpetuas æternitates radiantes, eam beatis exemplis atq; doctrinis in charitate fecerunt ferventem, & in sapientia illuminatam. Vnde sicut ex ipso Ordine Canonico reliquæ omnes effluxère Religiones, ita ex ipsius Ordinis antiquis Doctoribus, quasi ex prato flores, cæterorum Doctorum documenta nascuntur.

IV. Regimine *insuper præcipuus in S. Ecclesia fuit Ordo Canonicus, cùm Romanam sedem per annos quingentos & sex, optimo jure obtinuerat, quinquaginta & tres summos Pontifices produxit, quos ego cùm Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius existerem, ex magna parte ab Anastasio Cardinali, cùm & ipse fungeretur officio, ex archivis usq; ad sua tempora extractos reperiens, & qui post ipsum fuère, ex iisdem archivis à Formoso & infra unà cum Cardinalibus, Archiepiscopis, Abbatibus & Sanctis ex eodem Ordine, multis perlustratis Chronicis, laboriosissimè collegi.*

V. *Neq; prætermittendum est, quòd omnes fermè totius Orbis Cardinales Ecclesiæ, tam cum* Archiepiscopalibus & Episcopalibus, *quàm cum Canonicis & Clericis, Regularium antiquitùs Canonicorum erant; ex quibus nunc plurimæ extant in Hispania, in Gallia, in Germania, in Anglia, atq; aliquæ in Italia, præter alia Canonicorum Cœnobia, Abbatias scilicet Præposituras, & Prioratus, quæ penè innumerabilia sunt. Et propterea hodie Pontifices omnes & Archiepiscopi ac Episcopi quando consecrantur, ex eo, quod efficiuntur Clerici Regulares per solennem Professionem, accipiunt Habitum Canonicorum Regularium, scilicet Camisiam Apostolicam in memoriam & signum, quod olim tota Ecclesia Catholica tam in Patriarchalibus, quàm in Archiepiscopalibus Ecclesiis & Episcopalibus, per ipsos Canonicos Regulares regebatur. ista porrò Camisia sive Collobium lineum & album, (quod proprie est essentialis Habitus Regularium Clericorum) habuit Originem in veteri Testamento à Levitis & Sacerdotibus, qui utebantur Ephod lineo. In novo Testamento postmodum à Christo Sacerdote Maximo & Apostolis, talis Habitus albus & lineus, & institutus & delatus fuit, sicut patet de ipsius Christi Veste,* inconsutili & desuper contexta per totum. *Sic etiam de vestimentis Apostolorum Petri, Pauli, Bartholomæi, &c. qui ex re Apostoli appellabantur à Gentibus:* Homines dealbati. *Vnde ex eorum institutione omnes Clerici Regulares, qui Apostolorum more se & sua relinquentes, ut crucifixi mundo, & bajulantes Crucem, Christi Discipuli censebantur, talem induere Habitum jussi sunt. Nec mirùm quia cùm Dei Minister semper candidus & purus atq; mundus in conscientia esse debeat, & simplex ut Columba in moribus, & vestimenta alba*

& candida, is jubetur deferre, juxta illud quod scribitur Eccl: 9. Cm tempore vestimenta tua sint candida. *Et ut legitur in scripturis; Angeli semper in candidis vestimentis visi sunt, ad designandum eos, qui ex Clericali Professione albo induuntur amictu, ex sancta conversatione Angelos potiùs quàm homines esse debere &c. &c. Habitus siquidem albus pertinet ad perfectos, & ad illos qui ita per terrenorum contemptum ad ea, quæ sursum sunt, elevati sunt, ut sint quasi in cælis per beatitudinem glorificati. Quare D. IESVS glorificatus in monte* vestimenta candida *dicitur habuisse* sicut nix *&c. Iste est Habitus convenientior his, qui in sortem ac servitium Domini assumuntur. Habitus inquam à Deo ex ore ipsius suis Ministris adinventus & ordinatus. Vnde Dominus ad Moysen (Exod: 19)* Indues tunicis lineis Aaron & liberos ejus.

VI. Nobilitate *insuper reliquos omnes Ordines præcellit præfatus Ordo, & inter eos quasi rosa inter flores præfulget, quia Imperatores, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, Equites, Doctores, & Magistri in omni facultate, insuper & Senatores, Cardinales, Episcopi & alij infiniti Prælati, relictis Imperio, Regnis, domicilijs & dignitatibus, universisq; sæcularibus pompis, in ipso Ordine humiliter conversati sunt. Quos & inferiùs, prout ex diversis antiquorum Chronicis quantuloscunq; invenire potuimus, per singulorum Nomina subnotabimus.*

VII. Sanctorum *deniq;* Numerositate *Religiones omnes excellit prænominata Religio, quia ut ex diversis Catalogis Sanctorum & Martyrologijs, & antiquis historiis colligere potuimus, immensus propemodum Sanctorum, tam Martyrum, quàm Confessorum ex ipso Ordine numerus reperitur. Et quantum pro certo numero summari possunt, ut refert Anastasius Cardinalis & Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, in Catalogo quem edidit ad Carolum II. Gallorum Imperatorem, repeuntur circiter sexdecim millia centum & ultra. Testatur enim præfatus Anastasius, ubi sup. quod in Anglia, in Metropoli Cantuariensi irruentibus illuc barbaris, decem millia ejusdem Professionis Viri, qui ad Generale Capitulum venerunt, in Ecclesia Archiepiscopali S. Salvatoris pro Fide Christi martyrio ab iisdem Paganis coronati sunt, eorumq; festivitas agitur in Calendis Maij. Ex SS. Confessoribus, qui SS. Catalogo sunt adscripti, quatuor millia & quingenti reperiuntur, aliorum autem Martyrum circa mille & sexcēti colliguntur. Ex quibus Omnibus SS. tot ego per singulorum Nomina, partim ex Catalogo præfati Anastasij, partim ex Bibliotheca Romana transsumere conatus sum, qui pro eorum celebrandis festivitatibus seu Commemorationibus dicendis per totius anni circulum*

lum singula quaq; die sufficiant circa quingenta. Cardinalium numerus ex eodem Ordine sive Religione 2507. Archiepiscoporum 2715, Episcoporum 20135. Abbates ex eodem Ordine baculo Pastorali & Mitra utentes, centum millia & ultra: Ecclesiæ Cathedrales, quæ adhuc restant in diversis Regionibus regestratæ sunt numero quingentæ & ultra; & sunt tam Archiepiscopales quàm Episcopales. Ecclesiæ verò Collegiatæ sunt regestratæ numero ducenta millia quingentæ & ultra, quæ sunt ejusdem Ordinis Cænobia scilicet & Canonicæ, quæ pro majori parte sunt Præpositura & Prioratus, inter quas circa decem millia Abbatiæ & ultra continentur. Hæc in terminis habet citatus Ioannes de nigra Valle.

VIII. Firmat prætacta, pariter externum Raphaëlis Volaterani *lib: 21. in sua Antropologia* hoc tenore testimonium. *Ordo autem Canonicus ab Augustino non tam institutus quàm renovatus. Ab Apostolis enim in monte Sion exordium sumpsit, qui post Ascensionem, ut ait Th: 2. 2. quæst: 88. de vita genere deliberantes, communia inter se omnia, ac tria vota coram DEO statuêre. Qui ritus à successoribus Clericisq; omnibus, diu servatus est diligentissimè, fideq; postea defervescente desitus, nunc quoq; in Ecclesiis, ampliùs quadraginta perseverat. Amictus ejus est linea Tunica tantum, vesti cujuscunq; superaddita, quam Iacobus Apostolus Præsul Ierosolimitanus primus, ex more Levitico veterumq; Sacerdotum sibi assumpsit, post eum Marcus Alexandriæ: posteri verò diversis inter se factis concil abulis alij alia simul cum lineis indumenta corripuêre, statutaq; condidêre. Novissimè verò Anno 1401. Authore Leone de Carate Cive Mediolanensi ejusdem Ordinis Viro, Cænobium S. Mariæ de Frigdionaria Lucanæ Diœceseos reformantes Frigdionariam nominavêre, quam postea Eugenius IV. postquam probâsset Lateranensem* (Congregationem *appellari mandavit. Nam eam Basilicam annos propè octingentos antea tenuêre, ex eaq; plures Pontifices & Viri Maximi prodierunt. Sed & S. Crucis & Mariæ novæ Templa diu possederunt, mosq; erat ut qui titulis his Cardinales præessent, ex eorum Cænobiis Profitentes existerent. Deniq; nulla magis Religio propagata est, cujus Cænobia olim in Europa ad quatuor millia quinquaginta quinq; in Italia septingenta fuerunt, hodie autem vix 60.*

IV. *Nunc Viros perquiram ex hoc Ordine præclaros inprimis autem Pontifices 36. inter quos Gelasius I. Leo VIII. Alexander II. Paschalis II. Alexander III. Innocentius III. Honorius III. Cardinales amplius 300. Sancti Viri ad septem millia & quingenti. Præterea* Frigdianus *cujus Gregor: 3. Dialog: meminit. Is enim Vltoniæ Regis in Hibernia Filius adolescens admodum, Romam venit, postremò Lucam, ubi Præsul factus Cænobium excitavit, quod post obitum, Nomini ejus dicatum fuit.* Patritius *Hiberniæ Præsul sub Cælestino I.* Prosper *Præsul Reginus. Fuêre ex his Dominicus & Antonius Vlissiponensis, quorum alter postea novum Prædicatorum Ordinem constituit, alter verò ad Minores migravit. Hugo de S. Victore Parisiensis, summus Theologus sub Honorio III. scripsit de Sacramentis & alia. Hugo de Folietto Canonicus S. Petri Cordubensis, moribus itemq; literis clarus. Richardus de S. Victore Padvanus Patriâ, sub Anastasio IV. M C. L. inter Cardinales verò S. Gvarinus patriâ Bononien. Præsul Prænestinus à Lucio III.*

cre-

creatus ætate annorum 110. moriens apud Præneste sepultus est. Petrus Damianus *Præsul Hostien. sub Gregorio VII. qui cùm adversum suæ quieti statum prospiceret, bonis ac Cardinalatu se abdicans, in Cœnobium S. Mariæ in Portu Ravennæ, unde exierat rediijt, ubi & persanctè decessit anno M. C.XIX. operibus in Theologia plurimis relictis.* Jacobus de Vitriaco *sub Innocentio III. Præsul Tusculanus multa etiam scripsit Præfectus & Legatus contra Albigenses hæreticos.* Hugo *alius de S. Victore Parisiensis Tusculanus Præsul celebris Theologus anno M. C. C. C. CXXXI.* Ivo *etiam ex eodem Cœnobio Cardinalis magnâ Vir famâ doctrinæ.*

x. Hinc patet, & quantò ulteriùs progrediemur patebit magis, quosdam nobiscum injuriosissimè agere, qui prænominatos Prælatos Ecclesiæ & Doctores in ornamentum suæ Religionis trahunt, sed eò efficaciùs manifestissimæ falsitatis convincuntur, quia non domestica aliqua testimonia contra eos obtendimus, sed externorum Scriptorum allegamus & allegabimus toto hoc volumine documenta. Nec mihi succenseant, quòd pro veritate scribens, eorum palato minimè obtemperem, sciant se potius rem habere cum Principali Libri Authore *Ioanne de Nigra Valle*, qui prius vel alijs in contra scribendi, vel mihi ex alijs occasionem instillaverit Jus Nostrum vindicandi; a cujus proinde sententia discedere nè latum quidem unguem rationabile censeo.

xi. Patet deinde *Institutionis Schema* scilicet Canonicos Regulares suos Natales ducere ab Apostolis. Et insuper solidatur veritatis petiâ seu a Petri successoribus, inter quos *Paschalis II.* in Literis ad Priorem S. Frigdiani Lucensis (quas se vidisse testatur Cæsar Franciottus Clericus Regularis S. Mariæ Lucen: *de Imaginib: & Reliqu: in Urbe Luca*) hæc notat: *Vita regularis propositum in primitiva Ecclesia cognoscitur ab Apostolis institutum, quam B. Augustinus tàm gratanter amplexus est, ut eam suis Regulis informaret.* Ubi Papa non de alio vitæ proposito loquitur, præterquam de instituto Canonicorum Regularium, qui soli ab Apostolis originari probantur, & deinde à S. Doctore Augustino reformari, ab omnibus omni exceptione dignis Historicis asseruntur.

Benedictus XII. in Bulla Generalis Reformationis motu proprio edita, quæ incipit: *Ad decorem Ecclesiæ* hæc habet: *Ad Religionem Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini ab Christi gloriosis Discipulis in primitiva Ecclesia Sac: Institutionibus stabilitam, gerentes præcipuæ charitatis affectum, ac nolentes quæ in eadem Religione reformanda cognovimus absq; reformationis remedio præterire &c.*

Eugenius IV. in Bulla (vigore cujus Canonicos Regulares ad Lateranensem Basilicam reinducit) quæ incipit: *Cum ad Sanctissimam.* sic ait: *Hujus Sac. Ordinis & Sancti propositi post SS. Apostolos primùm in Alexandrina Ecclesia Marcus Petri discipulus fuit Institutor ac Conditor, ac gloriosus Doctor Augustinus Divinis Regulis illud decoravit; & S. Mem: Urbanus Martyr & Summus Pontifex Generalis decreti ordine reformavit, & B. Gregorius Augustino Anglorum Episcopo velut plantationem Sac: in commisso sibi populo præcepit institui, ac in Occidentis finibus ampliavit.* Ubi etiam dolet casum ejectionis eorum ex Laterano, de quo copiosè pertractat Noster Gabr. Pennot in sua *hist. trip. Lib. 3. Cap. 21.*

Sixtus

XII. *Sixtus IV.* in Bulla quæ incipit: *Dudum ad universos* inquit: *Ad illum præcipue Canonicorum Regularium Congregationis Lateranen: Ordinem S. Augustini eo libentius Nostræ mentis oculos convertimus, qui Ordo in nascentis Ecclesiæ Sanctæ institutione ac primorum Christianæ Religionis Clericorum normâ, traditionibusq; fundatus, & Sac: institutis ac Divinis Regulis, eloquiisq; præmunitus, existit, ab ejusq; primæva fundatione variis virtutum meritis semper resplenduit.*

Pius IV. in Constitutione (qua definit Causam Præcedentiæ inter Nostros Lateranenses & Benedictinos Cassinenses,) motu proprio hæc enuntiat: *Qui quidem Cardinales dictis Partibus eorumq; Procuratoribus & Advocatis pluries auditis, dubiisq; emergentibus ad plenum discussis & resolutis, comperto satis per eos ex compluribus Literis Apostolicis, diversisq; aliis documentis, rationibus & probationibus, quod ipsi Canonici fuerint & sunt de illis Clericis à Sancto Augustino, quinimo à SS. Apostolis institutis, eosdem Canonicos tam suæ Institutionis hujusmodi, quàm etiam dignitatis Clericalis, quæ eos statim quod Professionem regularem emittant, insignitos esse oportet, aliarumq; qualitatum in eis existentium ratione, dictamq; illorum Congregationem Lateranensem, præfatos Monachos, & eorum Congregationem Cassinensem præcedere debere censuerunt & concluserunt. Unde Nos &c.*

Pius V. hoc ipsum confirmans definit in hæc verba: *Cum itaq; sicut accepimus dilecti Filij universi Canonici Regulares Congregationis Lateranen. qui ab Apostolis Originem traxerunt, quiq; ab eodem Augustino eorum Reformatore, iterum per reformationis viam mundo geniti sunt, meritò prætendere possunt se omnes alias personas Ecclesiasticas tam sæculares quàm Regulares in Processionibus & alijs actibus publicè præcedere debere &c.*

XIII. Non desunt præterea quam plurimi Classici Authores & accurati Historici (non obstante quid obstrepat in contrarium:

Gens abrasa vices naturæ invertere tentans,
Cunctarumq; orbis rerum mutare figuras)

probantes in Canonicis Regularibus Institutum Apostolicum. Inter quos agmen ducit Sigibertus Gemblacensis qui *in suo Chronico sub anno 1078* ita habet: *Ab hoc tempore cæpit reflorere in Ecclesia B. Quintini Belvacensis Canonicus Ordo primùm ab Apostolis, postea à B. Augustino Episcopo regulariter institutus, sub Magistro* Ivone *Venerabili ejusdem Ecclesiæ Præposito, postea Carnotensium Episcopo.*

2. *Vincentius* Belvacensis, quem citat & sequitur *B. Antoninus* Archiepisc. Florentinus *in summ. Historial. tit. 15. cap. 16.* his verbis: *Circa annum Domini 1080. ut refert Vincentius historial. in spec. lib. 26. Cap. 51. post Sigibertum tempore Gregorij VII. Papæ & Henrici Imperatoris, cæpit reflorere in Ecclesia B. Quintini Belvacen. Ordo Canonicorum Regularium primùm ab Apostolis, postea à S. Augustino Episcopo & Doctore eximio, regulariter institutus, sub Magistro* Ivone *Venerabili ejusdem Ecclesiæ Præposito, postea Carnotensi Episcopo, qui post Isidorum fecit compilationem antiquam Decretorum.*

3. *Wernerus* Carthusianus in Fascic. tempor. fol. 54. ait: *Ordo Canonicus cæpit florere in Ecclesia Belvacen. qui primò ab Apostolis, postea ab Augustino regulariter est institutus, sub Magistro* Ivone *Præposito, post Episcopo Carnotensi.*

4. *Lucidus Histor. lib. 10. de reb. gestis post Christi adv. Cap. 7.* notat: *Rubrica*

brica de Ordine Religiosorum testatur communem Clericorum Ordinem à B. Petro et aliis Apostolis institutum fuisse, qui deinde ab Augustino insignem et singularem regulam accepit.

5. Platus *de bono status relig. Cap. 23.* quem sequitur *Emanuel Rodriquez Tom. 1. quæstionum Reg. qu. 3. a. 1.* vbi ad quæsitum sibi objectum dicit: *Respondeo dicendo quod Canonici Regulares Ordinis S. Augustini dicti Lateranenses ab Apostolis primùm ut narrant historiæ, traxerunt Originem, prout tradit Hieronymus Plati, sed postea à B. Augustino fuit talis Congregatio regulariter ordinata.*

6. *Robertus* Arboricensis *in Opusc. de tuendo Cælib. tom. 2.* ubi inquit: *Canonicos dicimus qui ex communi placito ac voto, Orationi ac mutuæ bonorum distributioni obnoxij erant. Erat autem hoc veluti elementum quoddam atq; exemplar futuræ Communionis in Ordine Canonicorum qui triplici voto adstricti, se Regulares appellant, quem Augustinus longo post tempore instituens, se ab Apostolico fonte hausisse profitetur. Hic ergò Ordo statim ab Orbe redempto etc.*

7. *Fr. Iacobus Philippus* Bergomensis Ordinis Eremitarum S. Aug. *in ultima edit. de anno 1507. lib. 14.* hæc habet: *Sunt ergò omnes isti Canonici de quibus paulo ante diximus, unius ejusdemq; Ordinis cum illis qui sub habitu lineo Regulam Augustini profitentes, primum ab Apostolis in primitiva Ecclesia sunt instituti, et per B. Augustinum regularibus Constitutionibus ad communem regularem vitam restituti, ut etiam colligitur ex præfatis sermonibus de communi vita Clericorum, et Constitutionibus et Decretis Romanorum Pontificum: Benedicti XII. Eugenij IV. Nicolai V. et Sixti IV. et alijs authenticis scriptis et approbatis testimonijs apud præfatæ Congregationis Lateranen. Canonicos existentibus.*

8. Joannes Molanus *Lib. 1. de Canonic. Cap. 6* roborat præ alijs dicens: *Est autem omnium doctorum Virorum hac de re scribentium una sententia; Ordinem Canonicorum regulariter viventium primum ab Apostolis esse institutum. Hinc Pius V. concedens Canonicis Regularibus Lateranensibus peculiare Officium de insignioribus sui Ordinis Sanctis, S. Augustinum vocat primum Apostolici Ordinis Reformatorem.* Et infra. *Canonici verò, qui Regulares dicuntur, quia per solennia vota firmiùs se Deo ad Regulæ arctioris observationem astrinxerunt, rectè & à Pontificibus Maximis & ab omnibus doctis Viris dicuntur Apostolicum Ordinem profiteri.*

XIV. Concordat cum primis *Ioannes Gerson* Parisiensis Academiæ Cancellarius *serm: de Cana Domini Alphabet. 22. lit. N.* genericè de Regularibus dicens: *Regularis vita originem ab ipsis Apostolis traxit.* Sed dum ait de Canonicis Regularibus eos de nobiliori fonte ipsiusmet Salvatoris, ductum traxisse *Alphabet. 42.* docet, dicens: *Apostolos fuisse Canonicos Regulares sub Abbate Christo, et Iudam à Domino triplici honore fuisse decoratum: Procuratoris, Commensalis, ac Canonici Regularis.*

Raphael Volaterranus cum cæteris relatis superiùs jam consonum alijs deposuêre testimonium, reliquos inferiùs identidem allegabimus, signanter *num. 16. & sequ. num. 42. et 48.* Taceo *Petrum Blesensem serm. de S. Augustino.* Rudolphum Cupiers *in Can. Oportebat dist. 79.* Raymundũ Fragum *de Relig. pag. 104.* Valenzuola *Consilior. num. 46.* qui eidem subscribũt sentẽtiæ. Imò & ipsũ Augustinum hæc eadẽ pertractantẽ *tribus sermonibus de communi vita Clericor.* Ut tetigit modò dictus Philipp. Bergomen. & D.

Possi-

Possidonium *in vit. S. Aug.* velut domestica testimonia prætermitto. Insuper & eos (ne videar nimium affectatè excurrere in laudes meæ Religionis) apud Nostrum Gabrielem Pennotum *in hist. tripart, lib. 2. Cap. 2.* prætereo, qui Canonicum Ordinem derivant à Nazaræis & Levitis veteris Testamenti, non obstante quod eorum augeat catervam, Joannes Melegarus *in Apolog. advers. Collotium* & Cacialupus relatus à Michaële Francez *de Cathedr. Ecclesijs Cap. 14. num. 63.* pro quibus omnibus unus ad præsens sufficit Petrus Damianus Cardinalis *in Proem: Constit.* qui sic ait: *Clericorum Ordinem in Ecclesia Tribus Leviticæ locum tenere, et Apostolicæ dignitatis Iura servare, et Officia gerere, nemo sanè sapiens dubitavit. Unde certum est eos Levitarum et Apostolorum regulas et vitas imitari debere, quorum noscuntur locum tenere, dignitatem habere, et Officia gerere; quæ enim lex Levitis, et quæ à Domino regula datur Apostolis, hæc eisdem Catholicis pariter Clericis, usq; in finem mundi vices eorum supplentibus, indicta nequaquam ambigitur.*

XV. Ut autem idem *Schema* quo ad *Restaurationis* punctum innotescat evidentiùs, & quantam curam in reformando ejusmodi Ordine Summi Pontifices habuerint, observandum est cum Nostro Gabriele Pennoto *cit. lib 2. cap, 42.* Ubi pro prima Reformatione Generali Canonicorum Regularium, allegat *Urbanum I.* qui A. D. 204. peculiari decreto *in Cap. Scimus. et Cap. Dilectissimis 12. qu. 1. vitam sine proprietate communem, et sub obligatione voti, inter Clericos, ad observantiam redintegrari intendit.*

2da. Generalis Reformatio facta fuit juxta cit. Pennot. IV. sæculo in Ecclesia Romana per *S. Sylvestrum* Papam, qui in Sacrosancta Lateranensi Basilica à M. Constantino fundata Clericos regulariter viventes secundùm normam Apostolicam instituit &c. In Ecclesia Vercellensi per *B. Eusebium* in Novariensi per *S. Gaudentium*, in Mediolanensi per *Ambrosium*, in Gallicanis Pictaviensi & Turonensi per SS. Episcopos *Hilarium* & *Martinum*, in Ecclesia Orientali per *M. Basilium* & *S. Athanasium*, ac demum in Africa per SS: Patrem & Patriarcham Nostrum inclytum *Augustinum.*

3tia Generalis Reformatio facta est V. sæculo sub Leone I. Pontifice Max. sub quo non solùm *B. Gelasius* Valerij filius & S. Augustini Discipulus, Augustinianam Reformationem Romam ex Africa invectam in Lateranensi Basilica plantavit. Authore Onuphr. *in addit. ad Platin. in Leone I. & lib. de 7ptem Urbis Eccl. in Eccl. Lateran.* Verum etiam in Generali Concilio Chalcedonen. *Cap. Quidam Monachor. 18. qu. 2.* & in Arelatensi III. sub eodem Pontifice statutum legimus: *Providendum est unicuiq; Episcopo, qualiter Canonici vivere debeant, nec non & Monachi secundùm Ordinem Canonicum seu Regularem vivere studeant, ut ait Apostolus: Unusquisq; in qua vocatione vocatus est, in ea vivere studeat.*

4ta Generalis Reformatio facta est VI. sæculo per *S. Gregorium M.* cujus duo extant Canones, in quorum altero mandat Augustino Anglorum Episcopo, ut in Ecclesia Anglicana Clericos regulariter viventes reformaret ad normam Clericorum primitivæ Ecclesiæ: in altero verò præcipit, ut Episcopi, Sacerdotes omnes Diaconos & cæteros

 Cle-

Clericos illorum visitationi subjectos, Canonicè id est regulariter vivere compellant, ut patet *ex Cap. Quia tua fraternitas, & Cap. Quoniam velim. 12. qu. 1.* Quantum autem præstiterit Ecclesiæ hic Pontifex? indigitat Joannes Diaconus *lib. 2. Cap. 12.* sic loquens: *Videbantur passim cum eruditissimis Clericis adhærere Pontifici, Religiosissimi Monachi, & in diversis Professionibus habebatur vita communis, ita ut talis esset tunc sub Gregorio penes Vrbem Romanam, Ecclesia, qualis sub Apostolis à Luca, & apud Alexandriam à Philone, commemoratur.*

Tandem alia Reformatio Generalis facta est, per diversa, in diversis locis, Concilia, ubi plurima saluberrima pro conservando hoc Ordine constituta sunt. Et inprimis in Concilio Arelatensi IV. sub anno 813. & Turonensi III. Eodem anno habita est Synodus Moguntina & Remensis in Gallia. Anno verò 818. habita est Synodus Aquisgrani. Et Romæ circa annum 824. *Eugenius II.* ex Canonico Regulari & Archipresbytero S. Sabinæ ad Pontificatus apicem evectus, congregato Concilio 63. Episcoporum, decrevit, Clericos in communi vivere debere, ut patet *ex Cap. Necessaria 12. qu. 1.* & librum in eodem Concilio edidit, quem Canonicum quinq; Capitulorum intitulatum omnibus Canonicis observandum mandavit, ex quo Noster *IVO* Carnotensis & Gratianus plures Canones suis decretis inserendos curarunt.

Ultima Generalis Reformatio facta est per *Benedictum XII.* Papam in Bulla: *Ad decorem Ecclesiæ*, cui tantùm hæc Religio debet, quantum nulli Pontificum, licet non tot, quin plures de ea particularem vigilantiam exercuerint, prout *Nicolaus II.* in Lateranensi Concilio de anno 1059. & *Alexander II.* teste Eremitani Ordinis Onuphrio Panuino *lib. de 7ptem Vrb. Ecclesiis in Ecclesia S. Crucis in Ierusalem,* qui sic ait: *Canonicorum Ordinem dilabentem Laterani juxta B. Augustini regulam, post multa tempora primus omnium reformavit Alexander Papa II. qui ante Pontificatum Clericus Regularis fuerat, & in amplissimam dignitatem vitæq; splendorem restituit, ita ut Monachis Casinensibus magno tunc sanctitatis & pietatis nomine florentibus & celeberrimis nulla in re cederent. Quare ea deinceps Congregatio ingentem maximorum Virorum proventum tulit; ex eo namq; Monasterio prodierunt Honorius II. Innocentius II. Lucius II. Alexander III. & Honorius III. Romani Pontifices.*

Qui autem Reformationis ejusmodi modum, progressum & successum felicem (quam dictus Alexander II. per Canonicos Regulares S. Frigdiani Lucensis in Laterano perfecerat) nosse percuperet, videat Fr. Jacobum Philippum Bergemensem Ordinis Eremitarum S. Aug. qui licet in prioribus editionibus suorum librorum de Congregatione Lucensi multa falsò imò & contumeliosè scripserit, & in secunda editione anno 1502. alios errores addiderit, tamen in ultima recognitione quam *Supplementum Supplementi* appellavit, impressa Venetijs anno 1506. de veritate certior factus, quæ antea scripsit, expost, lib. 14. retractavit.

XV. Ex hactenus dictis manifesse constat Originis antiquitas, dignitas, & præcellentia Sac. Canonico Apostolici Ordinis, & quanto

in

in amore semper illum habuerint Summi Pontifices, quanta in observantia custodierint numerosa Concilia, quantâ vigilantiâ Magni & Sancti Viri incoluerint. *Nam* (ut Nostri Joannis Mauburni Abbatis *in Roseto Spirituali* verbis loquar) *de antiquitate non ex incertis authoribus reperimus, quòd Ordo Canonicorum Regularium sub SS. Apostolis est institutus, à* B. Marco *apud Alexandriam est dilatatus, à* B. Jacobo *Ierosolymitano, &* Clemente *Pontifice Romano, & cæteris Apostolicis Viris observatus, ab* Urbano *Papa & insigni Martyre, decreto reformatus, à sequacibus ut puta* Sylvestro, Cypriano, *et aliis in reformatione zelosè servatus, Divi Hieronymi Epistolis informatus, à Patre* Augustino *restauratus, regulâ decoratus, et ordinatus ab eo, ac sub eodem conservatus, et valde promotus. Iussu Gregorij M. in Occidentis Partibus ampliatus, per Magnos et Sanctos Viros dilatatus, conservatus, collaudatus, reformatus, et in præsens usq; sub disciplina satis vigente deductus.*

XVII. Quare autem Canonici Claustrales hoc addito: *Regulares* in communi appellatione notari non erubescant, ut in quadam Epistola ad Canonicos Regulares illudens eisdem obtrudit Petrus Abaelardus & Ludovicus Vives &c. cum Ly Regulares idem Latinè sonet quod Græcè Ly Canonici? Respondet Principalis hujus operis Author IOANNES *de nigra* VALLE citatus: *Sciendum est etiam quòd deficiente fervore Charitatis inter Christi Ministros, quidam Clerici sive Canonici defecerunt in vitæ perfectione, & relicta Professione solenni, scilicet Paupertatis, cæperunt cum dispensatione Ecclesiæ velle proprium habere, & absq; Apostolica paupertate vivere in sæculo, quorum postmodum numerus per incrementa temporum infinitus fuit, & maximè in Ecclesiis Cathedralibus, quæ à regulari observantia deviaverunt. Unde Summi Pontifices in Sac. Conciliis ordinaverunt, ut ad differentiam istorum, illi Clerici, qui sub Apostolica Professione regularem vitam servaverunt, non Canonici simpliciter, sive Clerici, sed Regulares Canonici appellarentur, ab Apostolicæ Regulæ professione & observantia.*

Consonat Panormitanus Abbas *in Cap. Deus qui. de vit. & honest. Cleric.* qui ait: *Cùm in multis Clericorum status sit relaxatus, & sub illa districtione, sub qua erant Apostoli, & Apostolici Viri nollent vivere, facta est distinctio sæcularium à Regularibus Clericis, quorum observantia successivè viget in Regularibus Canonicis, qui & Clerici Regulares sunt; nam alij sæculares dicti sunt, quia voluerunt habere proprium, et se exhibere ad ritum sæcularium hominum*, prout exemplificat Trithemius Abbas in Hirsaugiensi Chronica ad annum 975. hunc in modum: *Sub Theodorico Archiepiscopo Trevirensi Canonici Majoris Ecclesiæ, ibidem abjecta vita regulari, quam hucusq; in eadem Ecclesia Majores eorum continuaverunt, desierunt esse Regulares, et facti sunt nomine et conversatione sæculares. Quorum exemplo malo Canonici quoq; S. Paulini Trevirenses, S. Castoris in Confluentia, Moguntinenses, Wormatienses, Spirenses, et complurium aliarum Ecclesiarum, diversis quidem temporibus, sed uno impietatis spiritu, Regularis vitæ communitatem abiecerunt.*

Nec desunt hac de re magnorum Theologorum & aliorum Canoni-

noniſtarum, imò & Sac. Canonum Clariſſimi & Uniformes textus, qui nobis deſerviant ad eluendam ab impia impoſtura innocentiam, nec non ad refellendam rudem energiam, veriùs inſcitiam adverſariorum. Suarius enim *Tom. 4. de Relig. lib. 1. de variet. Relig. Cap. 9.* ſic explicat: *Poſtea verò ipſi etiam Canonici vitam communem relinquere cæperunt, et proprias Præbendas inter ſe dividere, Canonicorum nihilominùs retento nomine, et ideò illi Canonici, qui in Religioſa et communi vita permanſerunt, Canonici Regulares dicti ſunt, propter neceſſitatem determinandi ambiguitatem vocis, Canonici.*

Ejusdem ſenſus eſt Azorius *Lib. 12. Inſtit. Moral. Cap. 22.* ſic loquens: *Sciendum eſt, Clericos (qui Apoſtolicam vitam ſecuti, nil proprium habentes, communem vitam agebant, et in eadem domo ſimul cibum ſumebant, ſomnumq́ capiebant, et deinde in Eccleſiam conveniebant ad Eccleſiaſtica Officia obeunda, dictos fuiſſe Canonicos, hoc eſt, Regulares, quippe qui Canonem Apoſtolorum ſervabant. Quâ appellatione et nomine diſcernebantur ab aliis Clericis, qui proprium habentes in ſuis domibus habitabant.*

Firmat noſter Hugo de S. Victore *in Cap. 1. Regulæ D. Aug.* dum ait: *Regula dicitur, quòd rectè regat, vel quòd rectè doceat; et quòd nos dicimus Regulam, Græci Canonem dicunt. Unde etiam Græco Nomine Canonici, id eſt, Regulares ſunt vocati, ij, qui in Monaſteriis conſtituti juxta regularia inſtituta SS. Patrum, Canonicè atq́ Apoſtolicè vivunt.*

XVIII. Sed præ cæteris ſolidiùs Didacus Covarruvias Epiſc. Segonien. in Clement. *Si furioſus. de homic. part. 1.* ſic diſſerit: *Canon, Græcè, Latinè Regula nuncupatur. Unde Canonici olim primùm hi nuncupati ſunt, qui in communi vitam agentes intra domum publicam, aut Eccleſiam, Collegium Eccleſiaſticum Divini cultus gratiâ conſtituebant, communem habentes Menſam, Regulamq́ D. Aug. exactiſſimè ſervantes; hic etenim uſus adhuc in aliquot Eccleſiis ſedem habentibus Epiſcopalem obtinetur: In aliis verò Eccleſiis communem vitam omittentes, nomen ſimplex Canonicorum retinent, atq́ ideò Iure Pontificio, ut ab his priores diſtinguantur, dicuntur illi Canonici Regulares. Cap. Quod Dei timorem. Cap. In ſingulis §. hoc ipſum. de ſtat. Monachor. et Canonicor. Reg. Quo rationis diſcrimine minimè perpenſo Ludovicus* Vives *in Annotat. ad D. Aug. lib. 3. de Civ. Dei Cap. 15. Canonicos Regulares, Nominis ambitioſi accuſare videtur, quaſi bis hoc gaudeant vocari nomine, ne non ſemel putentur Regulares, cùm idem Regulares et Canonici ſignificent. ſed tamen hâc notâ omninò liberi exiſtimandi ſunt; nam Ius ipſum Pontificium nomina hæc diſtinctè induxit.* Hinc patet Canonicos Regulares non ſumpſiſſe ſibi hanc reduplicationem, ut præ cæteris delirans magis, ſomniat Coriolanus *in Defenſorio part. 1. Cap. 5.* qui nugacitatis, & neſcio qualis ſuperſtitionis condemnat Canonicos Regulares ob geminatam, veriùs explicatam Græcæ per Latinam dictionis, nomenclaturam, neſcius & ignorans quòd Concilia & Pontifices id nominis eis tribuêre. *in Cap. nullus. et Cap. Mandamus 19. qu. 3. et in rubr. de ſtat. Monachor. et Canon. Reg. et d. Cap. Quod Dei timorem.* Nec Canonicos Regulares eſſe battologos; nam ut dicit Noſter Navarrus: non omnis verbi geminatio ſeu repetitio eſt battologia, ſed tantùm inutilis & ſuperflua, quæ nil operatur. Non enim battologus Chriſtus *Marci 14.* dicens: *Abba Pater.* Nec Paulus *Rom. 8.* dum dicit: *In*

quo

quo clamamus Abba Pater. Et Galat. 4. *Accepimus spiritum clamantem Abba Pater.* Nec succinens Poeta: *Ah Corydon Corydon quæ te dementia cepit.*

XIX. Quod etiam Canonici Regulares veniant in communi appellatione Nomine Clericorum, Presbyterorum &c. imò & Monachorum? Resolvit citatus IOANNES de nigra VALLE. *Clericorum Nomine multis in scripturis & locis signantur ipsi Regulares Canonici, qui fuerunt primi inter Ecclesiasticas personas, quibus tale Nomen impositum fuit ab Apostolis in primitiva Ecclesia, eò, quòd ob terrenorum renuntiationem in sortem Domini fuerint assumpti. quod patet in regula ipsorum, quæ intitulatur de communi vita Clericorum. Ideò ipsi Canonici Regulares, dicuntur Clerici primitivè, Clerici verò vel Canonici sæculares, dicuntur Clerici derivativè; Monachi verò & alij Religiosi dicuntur Clerici dispensativè. Presbyteri quoq; appellantur ipsi Canonici Regulares à vulgo sæpissimè, & à Chronicis tribus rationibus. Primò: quia originaliter in eis & principaliter viguit Ordo Presbyteralis à Christo & Apostolis institutus; sicut & Roma propriè & principaliter dicitur Vrbs, licet & aliæ Civitates impropriè & 2dariò Vrbes appellentur. 2dò à digniori vocabulo. Quare cùm universaliter Canonici Regulares ad Presbyterium destinentur, & cùm communiter ipsi sint Presbyteri & Sacerdotes, quod non est in aliis Religiosis, propterea Presbyteri multis in historiis & locis appellantur à digniori Nomine; sicut & Beda licet fuerit Monachus, tamen appellatur Presbyter à digniori Nomine Officij, quòd Sacerdos esset. 3tio dicuntur ab Officio Prædicationis, quod communissimè habent ad differentiam Monachorum, quia & Prædicatio post Episcopos pertinet ad Presbyteros & Sacerdotes. Monachi etiam dicuntur impropriè ipsi Canonici Regulares, multis in Scripturis & locis. Primò: propterea quòd Monasteria habeant, in communi & unitate viventes. Vnde sicut Monasterium ab unitate dicitur, sic & Canonici sæpè Monachi appellantur, quasi per communem vitam simul uniti, & propterea etiam Religiosi Monasteria inhabitantes Monachi appellantur, licet propriè non sint Monachi. Monachi etiam dicuntur sæpe-numerò ipsi Canonici à vita solitaria, quam extra Vrbes multoties eligunt, sicut de multis Cœnobiis Canonicorum patet, quæ extra Civitates & hominum frequentias sita sunt &c.*

XX. Nec mirari quispiam debet, aut Protei inanes formas in Canonicis Regularibus suspicari, quòd tot imò pluribus cognominentur intitulationibus, prout nemo miratur unum idemq; subjectum, nunc hoc nunc illo vocitari nomine, pro ratione Officij, vel status exigentia. Imprimis enim in primitiva Ecclesia vocabantur appellatione *Fratrum*, accepto nomine cum discipulatu saltem mediatè a Christo, juxta illud Matth. 23. *Omnes vos Fratres estis.* cùm enim in sortem

Domini fuerint assumpti, *& Dominus pars eorum & hæreditas* fieret in æternum; jure merito Fratrum Nomine nuncupari poterant, qui unum Patrem in cælis, & unam Matrem Ecclesiam haberent in terris, ut scitè observat Tertulianus in Apologetico, dicens: *Fratres sumus jure naturæ, at quantò dignius Fratres et habentur et dicuntur, qui unum Patrem Deum agnoverunt, qui unum spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ ejusdem ad unam lucem expiraverunt veritatis.* Et Joannes Molanus citatus: *Quantùm distemus à priscis illis Canonicis! quibus hoc nomen à Regula sumptum etsi ejus essent observantissimi, ferè ignotum fuit; malebant enim humilioribus vocibus Clerici et Fratres dici, quàm à Canonicæ Regulæ observatione Canonici appellari.* Successu temporis cùm nimirum *cresceret multitudo credentium* ad distinctionem à Laicis sortiti sunt aliud Nomen, & dicti *Clerici Collegiati*, quo etiam discreti sunt à Parochis seorsùm habitantibus, ut notat Noster Basilius Sirenius in Præfat. Privileg. Tandem cum per dispensationem Ecclesiæ Monachi Sac. Ordinibus initiari cæperunt, qui & ipsi *Fratres* dicebantur & *Collegiati*, utpote adunati degentes in Monasterijs, proinde ne confundatur Clericatus *per privilegium* & *per se* Canonicorum Regularium, quibus ut observat D. Th. 2. 2. qu. 189. a. 8. ad 7. *Per se competit quòd sint Clerici Religiosi. sed ad Ordinem Monachorum non per se competit, quòd sint Clerici, ut habetur in Decretis 16. qu. 1.* tunc inquam Clerici Religiosi ad discrimen à Monachis, voluerunt appellari *Clerici Canonici* ab Apostolorum Canone, quod est Regula, non ab annuo, quod est Præbenda, ut quidam autumant; alioqui tales, non Canonici sed Canonicarij appellari merentur Cassiodoro apud Joannem Molanum *Lib. 1. de Canonicis Cap. 5.* Cùm verò hi pro humanæ fragilitatis inconstantia retento Canonicorum Nomine relaxari viderentur, tunc observantiores Canonici, qui in regulari disciplina perstiterunt, à laxioris vitæ Canonicis distingui cupientes, congeminato vocabulo etiam *Regulares* ab Augustini Regula nominandos sese sanxerunt; quasi per Ly *Canonici* Apostolicam Institutionem, per Ly *Regulares* Augustini disciplinam & reformationem præseferentes.

Quòd etiam Canonici Regulares appellentur à Jure, Monachorum nomine in favorabilibus tantùm, patet ex subsequentibus casibus, in quibus non comprehenduntur. Primus est, quando particulares fines & Officia Ordinum considerantur, ut patet *ex Cap. Alia. Cap. Leg. 16. qu. 1.* ubi dicitur aliud esse officium Monachi, aliud Cleri. Et *Cap. Placuit. Cap. Pervenit. Cap. Interdicimus. Cap. Iuxta dist. eadem*; interdicitur Monachis Prædicatio, Sacramentorum administratio, & Parochiarum gubernatio, quæ Canonicis Regularibus committuntur. Cap. *Quod Dei timorem. de statu Monachor.* 2dus est, quando Nomen Monachi sumitur, ut contradistinctum Clerico, ut in dicto *Cap. Alia. Cap. Monachus. Cap. Legi.* & alijs multis; cùm enim Canonici Regulares sint per essentiam Clerici, ut constat ex citato D. Thoma, sub nomine Monachorum non possunt comprehendi. 3tius dum agitur de loco Præcedentiæ in functionibus publicis v.g. Processionibus &c. si enim non vocantur expresso Nomine Canonici Regulares, non poterunt angari-

zari

zari sub nomine Monachorum, ut communiter practicatur in Curia Romana. 4tus cùm Canones continent prohibitionem, vel praeceptum poenale, ut patet ex *Clementina. Ne in agro §. Quia verò. de statu Monachor.* ubi prohibentur Monachi tenere arma sine licentia Superioris, idq; sub poena Excommunicationis latae sententiae, quae poena non extenditur ad Canonicos Regulares, ut notat Glossa & Navarrus *in Manual. Cap. 27. num. 139.* quia regulariter in odiosis & poenalibus debet esse strictissima interpretatio, nec transire licet de casu in casum, multò minùs de Ordine ad Ordinem, ut exponit Abbas communiter receptus in Cap. *Quod Dei timorem. de statu Monachor.* & luculenter probat datâ operâ etiam solvendo in contrarium allatas rationes Noster Navarr. *in Comment. 3. de Regularib. qu. 12. num. 40. & seq.* quòd Canonici Regulares in odiosis non comprehendantur nomine Monachorum.

XXI. Pro Appendice hujus Schematis addo, quod ultimò affert citatus IOANNES de nigra VALLE absoluto Catalogo Virorum Illustrium Ordinis Canonico-Apostolici de praecedentia ejusdem, discurrens: *Sciendum quoq; quòd Canonici Regulares cedunt Canonicis Saecularibus & Clericis quandoq; in locis publicis, non ratione dignitatis seu antiquitatis, sed ratione Capitis eorum dignioris, quod est Episcopus, & ratione dignitatis Ecclesiae ipsorum, si est Ecclesia Cathedralis: reliqui verò Clerici sive Canonici Ecclesiarum Collegiatarum vel Parochialium, cedunt ipsis Canonicis Regularibus in omnibus locis publicis ratione antiquitatis. Quia ipsi saeculares Clerici à Regularibus originem habuerunt. Et hoc patet* Caesaraugustae in Hispanijs, ubi Canonici Regulares S. Mariae Majoris, sive de Columna, vulgò de Pilari ex antiquissima consuetudine (roborata cum tempore amplissimo diplomate in Generalibus Regni Aragoniorum Comitijs de anno 1605. quod refert Noster Gabriel Pennot. Lib. 2. Cap. 30.) omnes Canonicos & Clericos saeculares totius Regni Aragoniorum, exceptis Metropolitanis Ecclesiae Caesaraugustanae, praecedunt, & cum ipsis Metropolitanis pares incedunt; similiter in alijs Civitatibus Regulares Canonici saeculares praecedere consueverunt. Unde Pius V. dum in Bulla, quae incipit: *Cùm ex Ordinum.* motu proprio adjudicat praecedentiam Nostris Canonicis Lateranensibus, haec enuntiat: *Meritò praetendere possunt se omnes alias Personas Ecclesiasticas, tam saeculares, quàm Regulares, in Processionibus & alijs actibus publicis praecedere debere,* praesertim, quia parificantur cum primis Clericis identitate Nominis, Habitûs, Professionis, & id genus similibus, prout deducit clarissimè & solidissimè *Ioannes Baptista Cicada* Cardinalis Tit. S. Clementis in Relatione sua ad Pium IV. Papam regestrata *in Lib. Privilegior. pag. 514.* in haec verba: Sanctissime
» Pater. In causa praecedentiae inter Canonicos Regulares & Mona-
» chos Sancti Benedicti inprimis fuit dubitatum: An dicti Canonici
» censeantur esse de illis, quos B. Augustinus instituit? Et conclusum

, fuit pro parte affirmativa, præsupponendo inprimis, quòd tempore
, Primitivæ Ecclesiæ Apostoli constituerunt Clericos & Presbyteros,
, ut habetur *in Cap. 1. in fin. 12. dist.* & tradit latè Augustinus de An-
, cona in *Tr. de potest. Eccl. qu. 104. arg. 1. Vers. Respondeo.* Et post Apo-
, stolos B. Marcus illos primus instituit in Civitate Alexandrina, ut
, refert Cassia *Lib. de Instit. Monachor.* Postea succedente tempore cùm
, B. Augustinus videret disciplinam Clericalem relaxari, ut retinere-
, tur Symbolum vitæ Apostolicæ, & Clericorum antiquorum, insti-
, tuit Collegium Clericorum Regularium, prout de hoc sunt multa
, Jura in Decreto *12. quæst. 1.* & refert B. Thomas *2. 2. quæst. 189. a. 8.*
, Ex illis Clericis Regularibus, propagatus est Ordo Canonicorum
, Regularium, prout tenet S. Thomas citatus. Vincentius *in Spec.*
, *hist. lib. 16. Cap. fin.* dum inquit: *Augustinus factus Sacerdos Monasterium*
, *Clericorum instituit, & cæpit vivere secundùm Regulam, sub Sanctis Apostolis*
, *constitutam.* B. Antoninus *in 2. part. suæ Chron. Tit. 15. Cap. 16. §. 7.*
, Volateranus (& alij jam à Nobis adducti *sub num. XIII.*) Item fa-
, tentur Pontifices: Benedictus XII. in sua Extravag. quæ reperitur
, inter Constitutiones Canonicorum Regularium. Item Eugenius
, IV. in Bulla producta, quæ judicio meo fidem optimam facit.
, Nam cùm materia posset dici dubia, standum est in dubijs determi-
, nationi Papæ *Cap. in Literis. de rest. spol.* Io. Andreas *in Cap. Dilecto. de*
, *Præb.* Et S. Thomas *2. 2. a. 12. qu. 21.* dicit quòd in decisionibus
, causarum, magis est standum authoritati Papæ, quàm cujusvis alte-
, rius, etiam S. Doctoris. Hæc dictus Cardinalis & alia quàm plurima.

Ex his omnibus abundè constat Religionem Canonicorum Regularium, Congregationis S. Salvatoris Lateranensis esse antiquissimam, & *ipse fundavit eam Altissimus super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo lapide angulari Christo IESV.* adeoq; ex sensu B. Pij V. citati Iure *merito prætendere potest se omnes alias Personas tam sæculares quàm Regulares in Processionibus & alijs actibus publicis præcedere debere.*



II.

II.
SCHEMA
SUMMORUM PONTIFICUM,
Ex Ord: CANONICORUM REGULARIUM,

CONGREGATIONIS LATERANENSIS.

Iuxta præcit. IOANNEM *de nigra* VALLE.

XXII. Quos Schema repræſentat Summos Pontifices ex Ordine Apoſtolico Canonicorum Regularium juxta præcit. Joannem de nigra Valle, eosdem ipſiſſimos recenſet Petrus de Creſcentijs *in Præſid. Rom. lib. 2. Narrat. 1.* agglomerando eis alios 17decim, qui poſt tempora præfati Joannis de nigra Valle acceſſerunt, & ſunt: Paulus I. Adrianus I. Sergius II. S. Leo IV. Benedictus IV. Alexander II. Urbanus II. Paſchalis II. Honorius II. Innocentius II. Cæleſtinus II. Adrianus IV. Lucius III. Urbanus III. Clemens III. Honorius III. Cæleſtinus IV. adeoq; juxta hunc Hiſtoriographum numerantur 70. Summi Pontifices ex Ordine Canonicorum Religioſorum, quod nulli mirum vel fabuloſum videri debet; cùm in primitiva Eccleſia omnes Clerici (qui nunc Clerici Canonici ſive Regulares dicuntur) regulariter vixerint, & ſoli uſq; ad tempora *S. Sylveſtri* Papæ, clavum Eccleſiæ tenuerint, tandem primam Orbis & Urbis Lateranenſem Baſilicam (quæ Sedes Summorum Pontificum erat) circiter octingentos annos juxta Volateranum citat. *ſub num. VIII.* ipſi gubernaverint, adeoq; primos honores ſemper in manibus habuerint, ut ex profeſſo probat, ſæpiùs à Nobis allegatus Gabr. Pennotus in hiſt. trip. part. 3. Cap. 52.

Nec minuunt ſi non augent numerum Summorum Pontificum ex eodem Ordine, Anaſtaſius Cardinalis & Bibliothecarius S. R. E. *lib. de Vit. Romanor. Pontif.* Alphonſus Ciaconius ſimiliter *Lib. de Vit. Rom. Pont.* Laertius Cherub. *in Bullario.* Joannes Bapt. de Cavallerijs *Lib. de Imaginib. Pont.* Sigonius *de Regn. Ital.* Raphael Volateranus & Onuphrius Panuinus citati, quanquam quoad aliqua ſubjecta, pauciſſima tamen diſconveniant. Omiſſis alijs incipiendo à Clemente I. Romano, qui ſeipſum Canonicum Regularem fuiſſe profitetur *ſub Schemate 7. num. 48.*) eorum tantummodo reſuſcito memoriam, qui tempora B. Leonis I. Papæ præceſſerunt, ſub quo Lateranenſis Baſilica ſecundùm D. Auguſtini Regulam per S. Gelaſium fuit reformata; hunc & ſequentes volunt eſſe ex Canonicis Regularibus dictus Anaſtaſius & Ciaconius, qui ait: *Fuit autem Honorius Canonicus Regularis prout & Leo I. cognomento Magnus & Gelaſius I. Felix III. &c.* De Benedicto II. hæc habet: *Benedictus 2.* Junior *dictus Ioannis filius, Romanus, ex Canonico Regulari S. R. E. Presbyter Cardinalis &c.* Et de Leone II. *Leo 2. Iunior dictus in Cedella territoria vallis Siciliana in Provincia ulterioris Aprucij Patre Paulo Mencio Medico, ex Canonico Regulari S. R. E. Presbyter Cardinalis, 13. Papa Regnicola. &c.* Nec latent memoriam Anaſtaſij & Ciaconij, Sergius I. Gregorius II. Zacharias I. Stephanus III. Paulus I. Leo III. quem Ciaconius *in Paulo 2.* ex Canonico Regulari Monachum S. Benedicti fuiſſe ſcribit. Item Paſchalis I. Eugenius II. Sergius II. Leo IV. Benedictus III. Formoſus. Benedictus IV. Lando &c. Inſuper S. Zachariam, S. Sergium, S. Benedictum II. S. Gregoriū II. S. Leonē I. II. & IV. ex Ordine Canonico Apoſtolico fuiſſe probant Officia Canonicorum Regularium Lateranen. & Annotationes ad cadē Officia appoſitæ; ad quæ Scrutatores veritatis remitto.

XXIII. Inſuper de *S. Gelaſio* toto Capite 10. Lib. 1. de Canonicis

F diſſe-

differit in hæc verba Joannes Molanus: *Accedat Fulgentio* (intelligit Ruspensis Ecclesiæ Episcopū, quem pariter D. Augustini discipulū, adeòq; Canonicum Regularem fuisse probat Cap. 8. prout & JOANNES de nigra VALLE *& Prospero duobus Clarissimis D. Aug. Discipulis, & tertius, quem ego è reliquorum numero Gelasium seligo Romanum Pontificem, eò, quòd is non tantùm Canonis & Regulæ D. Aug. Præceptoris sui observantissimus fuerit, sed & Canonicum Ordinem in Italia restauraverit. Quâ de causâ Canonici Lateranenses in Natali ejus die, Collectam orant:* DEUS, qui per B. Gelasium Confessorem tuum, atq; Pontificem Canonicum in Italia Ordinem restaurare dignatus es, fac nos semper quæsumus ejus digna imitari conversationis insignia. Per Christum Dominum Nostrum. *Hujus itaq; Sanctissimi Pontificis hæc est in eadem Lateranensi Ecclesia de Canonico Ordine Historiæ series: Lect. 4. & 5. Invalescente post obitum Beatissimi Patris Nostri Augustini sub Genserico Wandalorum Rege Arianæ Sectæ perfidiâ; cùm is Universam jam Africam suo subjugasset imperio, post cruentam nimis Clericorum & Catholicorum stragem, plurimi D. P. Augustini Discipuli & Alumni, per varias propagati Ecclesias, (inter quos Gelasius Patre Valeriano natus) Divina revelatione primùm Neapolim, deinde Romam pervenerunt. Qui omnes perbenignè à Leone I. excepti, atq; in Ecclesia Lateranensi collocati, Canonicum ibi Ordinem juxta D. P. Nostri Augustini Regulam, & saluberrima instituta instaurare cæperunt. Ubi diutissimè postea floruerunt & per octingentos annos ibidem perstiterunt, plurimiq; ex ipsis ad summum Pontificatum, aliosq; inferiores Episcopatus, ob præclara eorum merita sunt assumpti, licet ejecti postea, denuò restituti; adhuc ejecti, nomen tamen & titulum, & omnia illi Ecclesiæ concessa Privilegia, Apostolica concessione retineant. Gelasius itaq; cùm quàm plurimos ibi annos, mirâ sanctitatis ac eruditionis opinione vitam egisset, mortuo Felice III. ad summum Pontificatûs apicem est electus. Qui Pontifex factus, Clerum quàm maximè amavit & auxit, Ordinemq; præcipuè ipsum Lateranensem, locis & Privilegiis ampliavit, atq; decoravit. Pauperum curam tantam habuit, ut nedum præsentium, sed è longè positorum Nomina scripta haberet, eisq; omnibus quàm maxima poterat liberalitate subveniret.* Præterea Urbem Romam à multis periculis liberavit, maximè verò à rerum inopia & fame. Inito Pontificio munere Manichæos, quos in Urbe reperit, in exilium misit, & Libros eorum apud Basilicam S. Mariæ publicè comburi jussit. Insuper Libros SS. Patrum authenticos ab apocryphis sequestravit, ut habetur *dist. 15. Cap. Sancta Romana.* Ipse Hymnos composuit ad imitationem S. Ambrosij. Item Gradualia, Tractus cum Præfationibus ad Missam Ordinavit. Claruit usq; ad annum 496. quo statutum mortis implevit, cùm sedisset in Pontificatu annis 4tuor. Hæc S. Antonin. Flor. *part. 2. hist. tit. 11. Cap. 1. §. 7.* Platin. *in Gelasio I.* Joan. Trithem. cit.

XXIV. *Leo VIII.* Romanus quem JOANNES de nigra VALLE erroneè putat esse Nonum. Fuit Prothoscriniarius Sedis Apostolicæ, Vir Venerabilis (ut ait Noster Joannes Trullus lib. 1. Cap. 4. de Ord. Canonicor. Reg.) pulso Joanne XII. à Clero Populoq; Romano, Pontifex creatur. Nam cum Joannes minùs debitè viveret, Leo subrogatur, & Otthonis Imperatoris vi & armis defenditur in Sede Petri; in ea tamen non diu vixit, anno uno tantummodo, & Mense 4to moritur. Domini autem anno 964. Ex S. Antonin. Florent. *2. part. hist. tit. 16. Cap. 1.* §. *16.* Platina *in Leone 8.* & Raph: Volater. cit.

Stephanus X. quem Onuphrius Nonum vocat, antea Fridericus Gozelonis Lotaringiæ Ducis Filius, primùm S. Lamberti Leodien. (quam Ecclesiam tunc regularem fuisse lib. 2. Cap. 38. hist. trip. probat Noster Pennotus) Canonicus Regularis ex Ciaconio *in vita ejus* postea S. R. E. Archidiaconus & Cardinalis, cùm ex quadam occasione Henrici II. Imperatoris invidiam incurrisset ad illam declinandam resignans Cardinalitiæ Præeminentiæ Monachus Cassinen, sub Abbate Richerio est effectus, cui paulò post in munere successit, teste Baronio sub anno 1054. num. 41. & sub anno 1057. num. 1. Imperatore vitâ functo timore solutus, & iterum Cardinalitia dignitate à Victore II. decoratus, tandem Pontifex Romanus renuntiatur. de quo citatus Ciacon. Joan. Molanus in Natalib. Sanctor. Belgij sub die 29. Martij, qui illum Belgam inter Beatos Leodien. Ecclesiæ nominat.

Alexander II. Mediolanensis ex Nobili Familia de Badagijs vulgò Bagijs nuncupata Canonicus Regularis, deinde Episcopus Lucensis, tandem mortuo Nicolao II. ob humilitatem, benignitatem & doctrinam, absens etiam, in Summum Pontificem assumitur. Hic labentem in Lateranensi Basilica disciplinam regularem, accitis illuc S. Frigdiani Canonicis, magnâ tunc sanctitatis famâ conspicuis, restituendam curavit, ut tactum *sub Num. XV.* ex Onuphr. *Lib. de 7ptem. urb. Eccl. & lib. 1. de Eccl. Lateranen. Cap. 3. & l b. de Rom. Pontificib.* Raph. Volat. *lib. 21. cit.* Ciacon. *in Alex. 2.* Laert. Cherub. *in Bullar.* Ioan. Bapt. de Cavallerijs *Lib. de Imaginib. Pontif.* Ioann. Molan. cit. lib. 1. Cap. 23. Moritur Pontificatûs anno 11. Mense 6to. & in Basilica Lateranen. sepelitur, nullo genere honoris, quod impendi Summo Pontifici potest, non adhibito, à Clero populoq; Romano. Ex S. Antonino Florentino *2. part. tit. 16. Cap. 1.* §. *20.* Platina *in Alex. 2.*

Urbanus II. Patria Rhemensis ex Canonico Regulari Lateranen. (vel ut alij volunt Rhemensi, quæ juxta Nostrum Gabr. Pennot. cit. lib. 2. Cap. 33. Regularis Ecclesia erat) Monachus Cluniacen. teste Onuphr. *in Urbano 2.* Laert. Cherub. *in Bullario.* Ioan. Bapt. de Cavall. citat. Nec non ex Iureconsultis, Ostiensis *in Cap. Intelleximus de ætate & qualit. pers.* sic dicit: *De mente illius Canonis esse, quod Canonicus Regularis nunquam possit fieri Monachus, nisi in casu, qui tangitur in Cap. Ex literis. de Iurepatr. & hoc statuisse Urbanum II. scribentem ad Abbatem S. Rufi, quia ipse Urbanus fuit Canonicus Regularis.* Consentit Panormitanus Abbas, & Antonius de Butrio in eodem Cap. *Intelleximus* in fin.

XXV. *Paschalis II.* Italus, antea D. Raynerius, Crescentij & Alphaciæ filius, ex Blera Tusciæ Oppido Canonicus Regularis Lateranensis, expost Monachus Cluniacensis factus, tandem à Gregorio VII. ob virtutem & doctrinam Presbyter Cardinalis Tit. S. Clementis creatus est. Raph. Volater. cit. Onuphr. *in Gregor. 7.* & *Paschali 2.* & *lib. 2. de Eccl. Lateranen. Cap. 3.* Ciacon. *in Gregor. 7. & Paschali 2.* Laert. Cherub. *in Bullar.* Joan. Bapt. de Cavall. *lib. de imag. Pont.* Hic post mortem Urbani II. vitâ privatâ contentus, nolens, & latitans, eò quòd humeros suos tanto oneri impares diceret, nihilominùs expetente populo, eligente Clero, collaudante Cardinalium Senatu, invitus licet & reluctans Pontificium munus suscepit, maximè cùm ter acclamatum esset: *S. Petrus Raynerum Virum optimum Pontificem elegit.* Hic etiam Lateranensis Canoniæ reformationem ab Alexandro II. cæptam, ad perfectum deduxit. Mortuus est 15. Calendas Februarij, Pôtificatûs sui anno 18. Mense 6. & die 7. sepultus honorificentissimâ pompâ in Basilica Constantiniana. Ex S. Antonin. Flor. *2. part. hist. tit. 16. Cap. 1. §. 2.* Platina *in Paschali 2.* Raph. Volat. cit.

Honorius II. antea D. Lambertus de Fagnano, Patriâ Bononiensis, Canonicus Reg. Later. postea Bononiensis Ecclesiæ Archidiaconus, deinde Presbyter Cardinalis à Paschali II. creatus. Onuphr. *in Paschali 2. & Honorio 2. & lib. 2. de Eccl. Lateranen. Cap. 3. & lib. de 7ptem Urb. Eccl. in Lateranensi.* Ciacon. *in Paschali 2. & Honorio 2.* Sigonius *lib. 10. de Reg. Ital. & lib. 2. de Episc. Bononien.* Laert. Cherub *in Bullar.* Joan. Bapt. de Cavall. *lib. de imag. Pontif.*

Innocentius II. antea D. Gregorius ex Familia de Paparesys TransTyberina (nunc de Matthæis vocatur) Canonicus Regularis Lateranen. ab Urbano II. in numerum Cardinalium cooptatus, & anno 1130. Pontifex renuntiatus. Onuphr. *in Urbano 2. & Innoc. 2. & lib. 1. de Eccl. Lateranen. Cap. 7. & lib. 2. Cap. 3. & lib. de 7ptem Urbis Eccl.* Sigonius *de Regn. Ital. lib. 11.* sub anno immediatè citato. Ciacon *in Urb. 2. & Innoc. 2.* Laert. Cherub *in Bullar.* Joan. Bapt. de Cavaller. *lib. de Imagin. Pont.* non obstante quidquid in contra dicat Baronius, contra manifestissima documenta Nostri Gabr. Pennoti citati lib. 3. Cap. 52. §. 4.

XXVI. *Lucius II.* Patriâ Bononiensis ex Nobili Familia de Caciane-micis, Gerardus antea nuncupatus, ex Canonico Regulari Congregationis S. Frigdiani Lucensis, Presbyter Cardinalis S. Crucis in Jerusalem ab Honorio II. creatus, tandem post obitum Cælestini II. Pontificatum inijt. Raph. Volat. cit. Joan. Bapt. de Cavall. citat. Baronius *Tom. 12. sub anno 1144.* Ciacon. *in Cælestino 2. & Lucio. 2.* Onuphr. *in Chron.* & *in Honorio 2. Lucio 2. Innoc. 2.* & *lib. 2. de Eccl. Lateran. Cap. 2. & sequen:* & *lib. 3. Cap. 15.* & *lib. de 7ptem Urb. Eccl.* Sigonius *de Regn. Ital. sub anno 1144.* Hic Pontifex nihil prætermisit quod ad expeditionem contra Turcarum potentiam pertinebat, miro excitus desiderio repetendæ Jerosolymæ, *eo, quod cùm esset Presbyter Cardinalis Tit. S. Crucis in Ierusalem, ad Pontificatum fuerit evectus,* Ut addit Ioan. Trullus *Lib. 1. de Vir. 15. Illustr. Can. Ord. Cap. 4.* Hæc dùm practicans cogitat, interim moritur Pontificatûs sui Mense 11. die 4ta. sepultus in Basilica Lateran. Ex S. Anton. *Flor. part. 2. hist. tit. 17. Cap. 1. §. 6.* Platina *in Lucio 2.*

III.

SCHEMA

IMPERATORVM, REGVM, DVCVM,

ALIORUMq; DYNASTARUM,

In Ordine CANONICORUM REGULARIUM Apostolico-

P R O F E S S O R U M.

Iuxta præcit. IOANNEM *de nigra* VALLE.

Anastasius IV. Romanus Benedicti filius de Suburra, antea Conradus, ex Canonico Regulari & Abbate S. Rufi apud Valentiam (rectiùs apud Avenionem) primùm Presbyter Cardinalis Tit. S. Potentianæ, deinde Episcopus Sabinus ab Honorio II. creatus, demum anno 1153. Summus Pontifex renuntiatus est. Onuphr. *in Honorio 2.* & *Anastasio 4.* & *lib. 1. de Eccl. Lateranen. Cap. 7.* Sigonius lib. 12. *de Regn. Ital.* sub immediate dicto anno. Ciacon *in Honorio 2.* & *Anast. 4.* Laert. Cherub. *in Bullar.* Massonius *in vita ejusdem Pontif.* Ioan. Bapt. de Cavall. cit. & Chron. Congr. S. Rufi.

Adrianus IV. Natione Anglus, antea Nicolaus Hastifragus dictus, primùm Clericus in Ecclesia S. Iacobi de Maglorio Magalonensis Diœcesis in Gallijs, postea Canonicus Regularis S. Rufi, ab Eugenio III. Cardinalis Episcopus Albanus creatus est. Onuphr. *in Eugenio 4.* & *Adriano 4.* S. Antonin. Flor. *2. p. hist. tit. 17. Cap. 1. §. 9.* ex Ioan. Salisberg. ejusdem Adriani familiari. Sigonius *lib. 12. de Regn. Ital. sub anno 1154.* Ciacon. *in Eugenio 3.* & *Adriano 4.* Ioan. Pitsius *lib. de Scriptor. Angl.* Ioan. Bapt. de Cavallerijs cit. unde habes ut dicit Noster Gabr. Pennot. cit. Cap. 52. quo Trithemij & aliorum corrigas errorem, vel aviditatem retundas, qui hunc Pontificem inter D. Benedicti Monachos recensent, vel Ordini Cisterciensi adscribunt, cùm certò constet S. Rufi Ecclesiam licet ex Urbe Avenionensi Valentiam, translatam, nunquam usq; in hanc diem Canonicum Institutum deseruisse.

XXVII. *Alexander III.* antea D. Rolandus Paparo seu de Bendinellis Patriâ Senonensis ex Canonico Regulari Lateranen. S.R.E. Bibliothecarius & Cancellarius Diaconus Cardinalis, postea Presbyter Cardinalis ab Eugenio III. creatus. Onuph. *de Rom. Pontificib. in Eugenio 3* & *Alex. 3.* & *lib. de Eccl. Lateran. Cap. 3.* & *lib. de 7ptem Urb. Eccl.* Raph. Volat. cit. Sigon. cit. *lib. 13. sub anno 1159.* Ciac. *in Eugen. 3.* & *Alex. 3.* Laert. Cherub. *in Bullar.* Ioan. Bapt. de Cavall. cit. Hic post mortē Adriani III. ad Pontificatū assumpt' est, & schismate 4tuor AntiPaparū extincto, solus regnavit ab omnibus acceptatus. Inito Pontificatu Turonis in Gallia Conciliū Generale celebravit, & SS. Catalogo B. Bernardum Abbatem Claræ Vallis adscripsit. Similiter D. Th. Cantuarien. ArchiEpiscopum, in Sanctorū numerum retulit, quasi gratas vices reponens, quòd illum aliquando vivens inviserit. Edidit plurimas Constitutiones tam ex Concilio Turonensi, quàm Romano, in Laterano celebrato, & alias multas Decretales evulgavit, quæ sub diversis Titulis continentur. Anno primo Pontificatûs sui Bullam Antecessorum suorum super incorporatione Cardinalatûs S. Mariæ Novæ. Canonicis Nostris cōfirmavit. Insuper ne alius extra eosdem Canonicos Regulares (qui pro illo tempore Basilicam S. Crucis in Ierusalem regulabant) Cardinalis Presbyter in illa Canonia haberetur, Pontificatus sui anno 7ptimo benignè primus indulsit. Ticinum Urbem supra Taurum amnem ædificavit, & alteram in Lōgobardia superiori inter Alpium radices, quam Alexandriam à suo nomine appellari voluit. Multa scripsit ad utilitatem Ecclesiæ de ejus potestate. Ejus etiam tempore claruit Noster Petrus Lombardus Epi-

 sco-

ſcopus Pariſienſis, Magiſter ſententiarum. Tandem poſt longos & aſ-
ſiduos labores Pontificatûs ſui anno 21. ceſſit è vita 1181. Hæc D. An-
tonin. Flor. *2. part. hiſt. tit. 17. Cap. 1. §. 10.* Platina *in Alex. 3.* Ioan. Trithem.

Innocentius III. Natione Campanus, Patriâ Anagninus antea dictus
Lotharius ex clariſſima Familia de Comitibus Signiæ, Patre Traſimū-
do natus, ab ineunte ætate factus eſt Canonicus Later. Tandē à Cæleſti-
no III. Diaconus Cardinalis SS. Sergij & Bacchi creatus, quo mortuo
omnium conſenſu ad Pontificatûs apicem evectus eſt. Onuphr. *lib.
de Rom. Pont. in Cæleſtino 3.* & *Innoc. 3.* & *lib. 2. de Eccl. Lateranen. Cap. 3.* &
lib. de 7ptem Vrb. Eccl. Raph. Volat. cit. Sigonius cit. *lib. 15. ſub anno 1198.*
Ciacon. *in Innoc. 3.* Laert. Cherub. & Ioan. Bapt. de Cavall. citat. Iſtius
Pontificis operâ & impensa inſigne illud Hoſpitale S. Spiritus Romæ
pro ægrotis & expoſitis conditum & dotatum eſt magnis proventi-
bus. Ille Ordinem Sanctiſſimæ Trinitatis de redemptione captivo-
rum approbavit, & veſtem candidam cum bicolori Cruce ad normam
apparentis ſibi Angeli *in Feſto S. Agnetis 2do Laterani intra Miſſarum ſolen-
nia geſtandam deſignavit, et Eccleſiam S. Thomæ de Formis Romæ in monte Cælio.*
S. Joanni de Matha *cum multis redditibus & poſſeſſionibus donavit.* In Laterano etiam
Concilium Generale celebravit Anno 1215. & in eo plurimas Conſtitutiones probavit, ut
pro majori parte Decretalium Liber ex Innocentij III. Conſtitutionibus & Decretalibus
Epiſtolis conſtare videatur. Præfuit Eccleſiæ Annis 18. Menſibus 3bus diebus 23. Hæc D.
Antonin. Flor. *part. 3. Tit. 19. Cap. 1.* Platina *in Innocentio 3.* Joan: Trithem.

XXVIII. *Honorius III.* Romanus antea dictus Centius ex Nobiliſſima Familia de Sabellis
Aymerici filius, à teneris annis Lateranenſi Monaſterio oblatus, ibiq; educatus & Canoni-
cus factus, tandem â Cæleſtino III. Diaconus Cardinalis S. Luciæ in Orphea & Camerari-
us creatus, & ab Innocentio III. Presbyter Cardinalis SS. Joannis & Pauli, ad extrem. in
Summum Pontificem electus eſt. Onuphr. *lib. de Rom. Pont. in Caleſt. 3. Innoc. 3. Hono-
rio 3. & lib. 2. de Eccl. Lateranen. Cap. 2. & ſeq.* Raph. Volat. Laert. Cherub. & Joan.
Bapt. dè Cavall. citati. Hic Pontifex Ordinem S. Dominici ſub Regula S. Auguſtini con-
firmavit, & Federicum II. anathemate notatum Imperiali dignitate privavit. Ab eodem
Joannes Rex Jeroſolymitanus cum Romam veniſſet perbenignè ſuſceptus, & magnis dona-
tus eſt muneribus, cui etiam Filia Federici in Matrimonium data, Jus illud dotis nomine do-
navit, quod ſibi in Regno Neapolitano competebat. hinc eſt, quod omnes Siciliæ Neapolitaniq;
Reges, titulum Jeroſolymitani Regni ſibi vendicant. Præterea Decretales Epiſtolas compila-
vit, Ordinem B. Franciſci (quem biennio poſt Gregorius IX. in SS. numerum retulit) appro-
bavit. Tandem anno Pontificatûs ſui 10. Menſe 7. die 13. Vitam clauſit, ſepultus in Baſilica
S. Mariæ ad Præſepe. Hæc S. Antonin. Flor. *3 part. hiſt. tit. 19. Cap. 3.* Platina *in Honorio 3.*

De Vrbano III. favet ſententiæ allegati Petri de Creſcentijs Joannes Mauburnus Abb. *lib.
2. Venatorij Cap. 14.* quem cenſet fuiſſe Canonicum Regularem, ex Severino Calco in qua-
dam Epiſt. ad D. Joan. Cribellum S. Petri de Ulmo Reg. Præpoſitum hæc ſcribente: *Tu
honoris Canonicorum Regularium magnanimum ſemper & invictiſſimum te defenſorem præſti-
tiſti, qua in re Vrbani III. Pontificis maximi imitatorem filiumq; eſſe præ:efers, qui de Cribello-
rum antiquiſſima & nobiliſſima ſtirpe traxit originem. Is pro ſui Ordinis Canonicorum de-
votione & obſervantia, multa apud Mediolanum erexiſſe Monaſteria dicitur, in quo illud præ-
ſtantiſſimum eſt, in quo nunc Rector præſides.*

Eidem Petro de Creſcentijs adſtipulantur Acta Tiphernatenſis Eccleſiæ S. Floridi, quæ
Cæleſtinum II. indicant fuiſſe Canonicum Regularem. Hunc ex Summis Pontificibus pri-
mum invenio in Lib. Privilegiorum, qui ſpeciali Bulla ſtatuit, ut Cardinalis Diaconus S. Mariæ
Novæ, nonniſi de gremio Congregationis S. Frigdiani haberetur, intendens per hoc Inſtitu-
tum Canonicum in illa Canonia perpetuò perennare. Quod Privilegium poſtea a Lucio
II. Eugenio III. & Alexandro III. confirmatum eſt.

xxix. Huc spectare videtur, quod refert Noster Gabr. Pennotus in hist. trip. lib. 3. Cap. 24. de Friderico III. Imperatore, qui cùm venisset Romam pro coronatione anno 1451. voluit à Nostris, in Canonicum Lateranensem investiri, de quo tale ibidem extat Literarum documentum Prioris Lateranen. ad Priores Vincentinum, Patavinum & Venetiarum S. Mariæ Charitatis. *Venerandi in Christo Patres. salutem.*

Vigesima secunda Martij D. Imperator Fridericus III. cum maximo triumpho à Domino Nostro Papa fuit coronatus, & post coronationem venit cum Senatoribus Caporionibus & Populo Rom. ac Principibus suis ornatus, & exercitu suo ad Ecclesiam Lateranen. quibus omnes parati 50. numero, cum crucibus & baldachinis ante Xenodochium Salvatoris obviavimus, & Nobis præcedentibus cantando, ad tres inferiores Ecclesiæ portas eos deduximus, & ante portam majorem descendens de equo Imperator, de manibus meis osculatus est Crucem Nostram Crystallinam, resistentibus Nobis Canonicis antiquis, & paratis ad eum vestiendum Cottis & Almutijs & creandum eum Canonicum Lateran. Quibus ex parte D. Pontificis præcepi, quatenus non impedirent se in ceremoniis, sed illis nolentibus obedire mandatis D. Nostri Papæ, sed violentiam facere volentibus, Nobis, Senator major cum Conservatoribus & aliis Officialibus Romanis eos expulerunt, & unum audaciorem aliis, percusserunt pugnis & calcibus, & nos pacificè duxerunt, tenentes in medio Nostrum Imperatorem, usq; ad Altare majus Capitum Apostolorum. Et ipsum Imperatorem genuflectentem ante Altare feci Canonicum Lateranen. imponendo ei Cottam seu Superpelliceum & Byrretum, dando ei unum ducatum pro parte distributionis & oblationum, eum tangentium; qui alacri vultu eum recepit & dedit eum Secretario suo dicens: Serva, serva hunc ducatum mihi. *Deinde à Dispensatore suo recepi duodecim ducatos, quos sponte obtulit in Altari. Post hæc duximus eum ad sedem paratam in Tribunali ante Altare cantando:* Da pacem Domine. *Et Orationibus finitis ipso surgente & stante in Cathedra, omnes nos recepimus eum in Fratrem & Canonicum ad osculum pacis, osculando ei manum & faciem. Hoc facto, duximus eum cum Baronibus suis ad Refectorium à Ministris D. Papæ præparatum & ornatum, & sedentibus omnibus in Refectorio, Claustris, & Curiis, & per totam Canonicam circa tria millia hominum, duodecim materies ciborum comederunt, adstantibus in Refectorio coram Imperatore Baronibus, & Fratre suo, ac Rege parvo Vngariæ, ac tribus Episcopis cum eo comedentibus, sonantibus Organis parvis à D. Desiderio Nostro & cantante. Completo autem prandio tertiâ horâ noctis, surgentibus omnibus equos ascenderunt, Nobis tangentibus & osculantibus manum, Imperatore ipso dicente:* Statevi con Dio, e gran mercede della cortesia me havete fatta. *Et sic vale fecerunt Nobis, & Nos remansimus in pace. Quare cùm pertransierit per Civitates vestras, visitate eum tanquam Canonicum Nostrum, & petite privilegia si indigetis, significando quòd estis Canonici Lateranenses. Scio namq; quòd perbenignè suscipiet Vos. Valete.* D. Aurelius Prior Lateranensis. *Ex Canonica Lateranensi Die 23. Maij 1452.*

xxx. Nè verò existimet aliquis exaratos in Schemate Dynastas, esse tantùm adscriptitios Canonicos, Canonicis Regularibus, prout Fridericus III. (& fermè quilibet Imperator, qui censetur esse ad S. Petrum in Vaticano Canonicus; sicut Rex Galliarum ad S. Joannem in Laterano, & Monarcha Hispaniarum ad S. Mariam Majorem) propterea in adductis Literis rectè dicitur Fridericus fuisse Canonicus Lateranensis, non verò Regularis, ad discrimen cæterorum Principum, qui in hoc Ordine per Professionem Religiosam vota emiserunt, & tales sunt annotati in Schemate juxta Joannem de nigra Valle & Anastasium Gard. *in suis Catalogis de Viris illustr.* Insuper *S. Frigdianus* Episcopus Confessor Hultachij Regis Hultoviæ Filius, cujus Professio Regularis patebit inferius *sub Schemate Episcopor. Num. LI.* Item *S. Rumoldus* Episcopus Martyr, Regis Scotorum Davidis Nomine, Filius, quem Noster Pennotus in hist. trip. lib. 2. Cap. 34. §. 3. probat fuisse

Canonicum Professum, & ostendunt Officia Canonicorum Regularium Later. in Annotationibus ad diem 3. Julij. Item *S. Mauritius* Episcopus Martyr, Theobaldi Regis Filius, ex mente Joannis de nigra Valle, & *S. Isidorus* Episcopus Hispalensis Confessor, Severiani Ducis Carthaginen. Filius, de cujus Professione Canonica constat pariter ex Annotationibus *ad diem 4. Aprilis.* & Joanne de nigra Valle, qui eum refert inter Doctores Nostri Ordinis. *Fridericum* etiam Gozelonis Lotharingiæ Ducis Filium, expost Stephanum X. Papam superiùs *sub Num. XXIV.* Canonicum Regularem Professum probavimus.

XXXI. Nec hic prætermittendi erunt & alij Dynastæ (quanquam nec adscriptitij nec Professores Canonici) qui tantopere affecti, & tam rara familiaritate devoti fuerunt ad ejusmodi Ordinem, ut non tantummodò sua & seipsos illi devovere, Habitum Canonicum gestare, sed & Officia Ecclesiastica publicè cum Canonicis Regularibus, velut quidam è Ministris Ecclesiæ, personare, non verecundarentur. Talis erat *Luitprandus* Longobardorum Rex pijssimus, qui Ecclesiam S. Petri in Cælo aureo Papiæ, pro Canonicis Regularibus extrui fecit, ut evidentissimè probat toties allegatus à Nobis Gabr. Pennot. in hist. trip. lib. 1. Cap. 58. & Corpus D. P. Augustini à Saracenis Sardiniam Insulam depopulantibus, pretio redemptum illuc advehi curavit. *Bona verò, quæ pijssimus Rex Luitprandus Ecclesiæ B. Petri donavit, tam in prædiis & possessionibus, quàm in vasis aureis & argenteis, & vestibus ad Dei cultum pertinentibus, excedunt omnium piorum & Catholicorum opinionem*, ut dicit Oldradus Episcopus Mediolanen. in Epist. ad Carolum M. *Existimabat enim Rex ille se tantùm non posse donare Ministris, qui custodiebant Corpus B. Patris, quod opinioni & voluntati suæ penitus satisfaceret. Et tanto gaudio ob S. illud Corpus receptum replebatur, ut die ac nocte in hymnis & Canticis, cum Clericis & Sacerdotibus in Ecclesia pernoctaret, & tanquam unus de Ministris, in Canticis & Psalmodia seipsum exerceret.* Quod certe de Canonicis Regularibus dictum esse constat, ex Ly *cum Clericis & Sacerdotibus*, quibus hæc appellatio propriè competit, non Monachis: de alijs etiam Clericis non est hic quæstio, quòd præfuerint aliquando illi Ecclesiæ.

XXXII. Nihilominùs amplioris adhuc affectûs documenta præstitit *Alphonsus I.* Portugaliæ Rex in Canonicos Regulares S. Crucis Conimbricen. de quo illud memoriæ proditum est tabulis illius Canoniæ, quòd in consuetudine haberet, dùm Cœnobium ingrederetur; gladium ad ostium ponere, & superpelliceum Canonicum induere, & semper donec Monasterio egrederetur gestare, quod etiam dùm prælium ingrederetur super thoracem ferreum induebat, & in eo tanquam unus de numero Canonicorum, ibidem sepeliri voluit *à Lusitanis pro Beato reputatus, & qua talis usq; modò colitur.* Quanta verò iste Monarcha Collegio illi bona contulerit, vix ad præsens insinuare, non enarrare sufficimus; & ad hunc effectum gratam memoriam B. Theotonij primi Prioris illius Canoniæ cum suo Capitulo in hæc verba allegamus: *Authoritate Domini Nostri JESU Christi hujus Ordinis Capitis, & B. Petri Apostolorum Principis, & istorum Fratrum Nostrorum, qui in præsentiarum habentur D. Joannis Archiepiscopi Bracaræ, & Petri Portugaliæ Episcopi, decrevimus, & decretum scripto posteris mandamus, quòd nunquam postmodum ab ullo poterit infringi, ut à modo & usq; in sempiternum, quamdiu hæc Domus & ejus Congregatio extiterit, centum pauperes intus in Refectorio ad Mensas Seniorum Pane, Vino, & carne, seu piscibus, unoquoq; anno saturentur pro ejus anima (scilicet Regis Alphonsi) & cum Scyphis & Scutellis Seniorum eis serviatur. In Festis verò principalibus id est Natalis Domini, Cœnæ Domini, S. Crucis, Pentecostes & S. Augustini Patris Nostri, uni pauperi tantùm detur, quantum uni Seniorum in Refectorio sumendum datur. Cùm verò ejus anima in pace pausaverit, festivitas illa 100. pauperum in ejus anniversario unoquoq; anno celebretur, & in Refectorio unius pauperis per 30. dierum spatium seu in Divinis obsequiis sicut unicuiq; Nostrum. Nec illas principales suas pauper perdat festivitates, siquidem quot substantiarum habemus, ab eo habemus, & ab eo defensamur, magnum etsi hoc munusculum, & in vita & in morte pro eo agendum statuamus.*

IV.

IV.

SCHEMA

S. R. E. CARDINALIUM

Ex Ord: CANONICORUM REGULARIUM Apoſtol:

CONGREGATIONIS LATERANENSIS.

Iuxta eundem IOANNEM *de nigra* VALLE.

XXXIII. Mirum forsan alicui ne dicam fabulosum videbitur, fuisse multò plures ex Ordine Canonicorum Regularium Cardinales, quàm qui specificentur à Joanne de nigra Valle. Sed si perpenderit benè quod affert Joan. Bapt. Signius lib. 2. Cap. 8. qui dicit: *Sexdecim Canonicos de Rheno ipso* ad Cardinalatûs honorem *fuisse assumptos, mirari sanè* non poterit, maximè *cùm ipsa Lateranensis Ecclesia, & omnes Ecclesiæ Titulares Cardinalium regerentur per eos tunc Canonicos.* Tum quia Canonici Regulares duos Titulos Cardinalitios continuò possederunt, ita ut nulli extra ipsos licuerit ad Cardinalatûs eminentiam in illis Ecclesijs ascendere, ut patet ex alio externo testimonio Zachariæ Ferrerij lib. de Habitu Canonicor. Reg. ad Leonem X. approbat. 2. ad fin. ubi dicit: *De Ecclesiis verò Principalibus Cardinalarium Titulorum certissimum est, quòd nulla fuit instituta à sui exordio sub Monachis, seu aliis Religiosis, sed benè sub Canonicis Regularibus, sicut Ecclesia S. Crucis in Ierusalem, quæ à sui primordio fuit Canonicorum Regularium, ut patet per Literas Apostolicas Alexandri III. directas Vbaldo Cardinali Presbytero S. Crucis in Ierusalem, & ejus Canonicis ibidem regularem vitam professis; & incipiunt:* Quoties illud à Nobis postulatur. *quibus decernit ne quisquam eligatur in eo Titulo S. Crucis Cardinalis, nisi de gremio Canonicorum Regularium S. Crucis &c. Item Ecclesia S. Mariæ novæ, quæ est Titulus Cardinalaris,* solis Canonicis Regularibus ab Innocentio II. Papa, (ut habet Noster Gabr. Pennot. cit. lib. 2. Cap. 16.) concessus, ad instantiam Aymerici Galli, Diaconi Cardinalis pariter Canonici quondam Regularis, de quo sæpefatus Pennotus lib. 3. Cap. 53. (ubi etiam plures alios ex Ordine Canonicorum Regularium Cardinales enumerat, illis exceptis, qui ad Pontificatûs Romani apicem ascenderunt) hæc habet: D. Aymericus Burgundus illustri genere ortus, ex Canonico Regulari Diaconus Cardinalis S. Mariæ Novæ, creatus à Calisto II. Onuphr. *in Cælestino 2.* & *lib. 3. de Ecclesia Lateran. Cap. 15.* Hic sui Tituli Canoniam restauravit, & ut inibi nonnisi de gremio Congregationis S. Frigdiani, Cardinalis sumeretur, ab eo ipso Papa, impetravit. Quod Privilegium alij Pontifices Romani, ut jam dictum *sub Num. XXVIII.* confirmarunt.

XXXIV. *D. Petrus* juxta Onuphr. *in Leone 9.* & *Alex. 2.* Bibliothecarius & Cancellarius S.R.E. Cardinalis Diaconus, cujus meminit B. Petrus Damiani, in Epist. quam refert Baronius *Tom. 2. sub anno 1065. num. 6.* ita eum appellans: *Porrò autem quia Sacri Conventûs* (ubi est sermo de Lateranen. Basilica) *Rector constitutus es, noli dissimulare culpam &c.*

D. Ottho de Castellione Rhemensis Diœcesis, Gallus, ex Canonico Regulari Monachus Cluniacen. Cardinalis Episcopus Ostien. Onuphr. *in Greg. 7. & Vrb. 2. de Rom. Pont.*

D. Cuno Germanus à Truncíberenger, priùs Eremita, postea Canonicus Regularis, & unus de Fundatoribus Congregationis de Aroasia in Gallobelgica, Cardinalis Episcopus Prænestinus à Paschali II. creatus. Onuph. *in Paschali 2.* Sigibertus Gemblacen. *in Chron sub anno 1114.* Baronius *Tom. 12. sub anno 1112. & 1114. & 1118.* qui licet dicant illum fu-

 isse

isse Eremitam, fatentur etiam fuisse unum ex primis Fundatoribus Congregationis Aroasiensis, quam extra dubium fuisse Canonicorum Regularium non Eremitarum probant munimenta Monasteriorum, quæ supersunt ex unitis.

D. Anselmus ex Canonico Regulari Monasterij S. Petri in Cælo aureo Papiæ, Cardinalis Presbyter Tit. S. Laurentij in Lucina creatus ab Honorio II. Onuphr. *in Honorio 2.* Ciacon. *in Honorio 2.* Ejusdem meminit Baronius *Tom. 12. sub anno 1130.* cum alijs tribus Cardinalibus Canonicis Regularibus, scilicet *Conrado* Episcopo Sabinen. *Gerardo* Presbytero S. Crucis, & Aymerico Diacono S. Mariæ novæ, pro Innocentio II. tanquam legitimo Pontifice Romano, contra PseudoPapam Anacletum strenuè decertantibus.

D. Theodeuvinus Germanus ex Canonico Regulari Cardinalis Episcopus Portuensis, creatus ab Innocentio II. Onuphr. *in Innoc. 2.* ubi licet ejus Professionem Canonicam omiserit, habetur nihilominus in Calendario Rhenano, attestante Joan. Bapt. Signio lib. 2. Cap. 8.

D. Thomas Mediolanen. ex Canonico Regulari S. Mariæ de Crescentiaco propè Mediolanum, Cardinalis Presbyter Tit. SS. Vitalis & Vestinæ creatus ab Innocentio II. Onuphr. & Ciacon *in Innoc. 2.* & munimenta Congregationis S. Mariæ de Crescentiaco.

D. Ioannes ex Canonico Regulari Congregationis S. Frigdiani. Cardinalis Diaconus S. Mariæ novæ, creatus à Cælestino II. Onuphr. *in Cælestino 2.*

D. Vbaldus Bononiensis ex Canonico Regulari Congregationis S. Frigdiani, Presbyter S. Crucis in Jerusalem, creatus à Lucio II. Onuphr. *in Lucio 2.* & Calendar. Rhenanum. Hic eundem Cardinalitium Titulum pro Canonicis sui Ordinis ab Alexandro Papa III. impetravit, ut paulò ante probavimus.

Magister *D. Guido* Bononien. ex Canonico Regulari S. Mariæ de Rheno ad Bononiam, Cardinalis Presbyter Tit. S. Pudentianæ, creatus à Lucio II. Onuphr. *in Luc. 2.* & Calendar. Rhenanum.

XXXV. *S. Guarinus* de Fuscarijs, vel ut verbis Onuphrij *in Lucio 2.* loquar: *D. Guarinus Fuscarius Bononien. ex Clerico Bononien. Ecclesiæ Canonicus Regularis Monasterij S. Crucis de Mortario, Congregationis S. Frigdiani Lucensis, Episcopus Cardinalis Prænestinus*, à Lucio II. creatus: Concordat Ciacon *in Lucio 2.* Raph. Volater. cit. Joannes de nigra Valle, qui eum inter Episcopos recenset. & Nicolaus Crusenius in suo Monastico *part. 2. Cap. 23.* in hæc verba: *Circa annum M.C.XLVIII ingentibus miraculis claruit Christi Confessor S. Guarinus, qui Canonicus Regularis S. Augustini in loco de Mortaria ingenti spiritus fervore, & Divinis desiderijs plurimùm profecit, ita ut brevi tempore ad regimen Monasterij S. Frigdiani, ac non multò post ad Papiensis Ecclesiæ Infulam, raperetur, quamvis invitus à Lucio II. Hic Gvarinus etiam in Episcopatu vigilijs, precibus, & jejunijs, noctè dieq; incumbens piissimè obdormivit in Domino. In cujus transitu clarissima lux totum conclave, ubi jacebat, implevit, plurimaq; alia miracula hujus sanctitatem Viri contestata sunt, imò nonnullis post obitum diebus, solo contactu sepulchri plures possessi ab immundis spiritibus liberati fuère.*

D. Il-

D. Ildebrandus Crassus Bononien. ex Canonico Regulari S. Mariæ de Rheno, ut vult Joan. Bapt. Signius cit. in Calend. Rhenano antiquo, Cardinalis Diaconus Tit. S. Eustachij creatus ab Eugenio III. Onup hr. *in Eugenio 3.*

D. Boso Anglus ex Canonico Regulari & Papæ Scriptore, Cardinalis Diaconus SS. Cosmæ & Damiani, & Camerarius creatus ab Adriano IV. Calend. Rhen & Onuphr. *in Adriano 4.* ubi tamen Canonicæ Professionis ejus non meminit.

D. Ioannes Pizutus alias Phizutus Neapolitanus Canonicus Regularis S. Victoris Parisien. Cardinalis Diaconus S. Mariæ in porticu, creatus ab Adriano IV. Onuphr. & Ciacon. *in Adriano 4.*

XXXVI. *D. Bernardus* Canonicus Regularis & Prior Monasterij Lateranen. dicit Onuphr. *lib. 2. de Eccl. Lateranen. Cap. 1.* in hæc Verba: *Innocentium quoq; donasse inveni Basilicæ Lateranensi 100. libras monetæ Lucensis, quibus agri emer ntur ad Canonicorum in ea residentium sustentationem, ex quibus Bernardus, tunc Prior Lateranen. postea Episcopus Cardinalis Portuensis, aliquot possessiones emit, non longè ab Vrbe, propè Ecclesiam S. Helenæ.* Ibidem Cap. 3. ait: *Multi præterea magni Nominis Cardinales ex eo Monasterio prodierunt, ex quibus pr cipuus fuit Bernardus, qui multis annis Prior Monasterij Lateranensis fuerat, sub Innocentio Papa II. & ab Eugenio III. ex Lateranensi Priore Presbyter Cardinalis primum Tit. S. Clementis, deinde Episcopus Cardinalis Portuensis, Tit. S. Rufinæ & Secundæ ab Adriano IV. factus est.* Idem tamen Onuphr. *lib. de Rom. Pont. in Eugen. 3. & Adriano 4.* illius Canonicæ Professionis, & Prioratus Lateranensis non meminit, ubi solùm promotionem ad Cardinalatum, diversorum, recenset.

D. Hieronymus Lucensis ex Canonico Regulari S. Frigdiani Cardinalis Diaconus S. Mariæ novæ, creatus ab Alexandro III. Onuphr. & & Ciacon. *in Alex. 3.*

D. Arduinus ex Canonico Regulari Congregationis S. Frigdiani, Cardinalis Presbyter S. Crucis in Jerusalem, ab Alexandro III. creatus. Onuphr. & Ciacon. *in Alex. 3.*

D. Matthæus Lucensis Canon. Reg. S. Frigdiani, Cardinalis Diaconus S. Mariæ novæ ab Alexandro III. creatus. Onuphr. & Ciac. *in Alex. 3.*

D. Petrus Bonus Veronensis ex Canonico Regulari Cardinalis Presbyter Tit. S. Susannæ, creatus ab Alexandro III. Onuphr. *in Alex. 3.* & Calendar. Rhenanum.

Magister *D. Albinus* Canonicus Regularis S. Mariæ de Crescentiaco Cardinalis Diaconus, à Lucio III. creatus, Onuphr. & Ciac. *in Luc. 3.*

D. Bernardus Canonicus Regularis Cong. S. Frigdiani, Cardinalis Diaconus S. Mariæ novæ, creatus à Lucio III. Onuphr. Ciac. *in Lucio 3.*

D. Leo de Brancaleonibus Romanus, Canonicus Regularis Congr. S. Frigdiani, Cardinalis Diaconus S Luciæ in Septisolio, creatus ab Innocentio III. Onuph. & Ciac. *in Innoc. 3.*

D. Gregorius Crescentius Romanus, ex Canonico Regulari Cardinalis Diaconus S. Theodori, creatus ab eodem Innocentio III. Onuphr. *in Innocentio 3.* & Calendar. Rhen.

D. Jacobus Gualla de Bicherijs Vercellensis, ex Canonico Regulari Monasterij S. Petri in Cælo aureo Papiæ, Cardinalis Diaconus S. Mariæ in Porticu, creatus ab eodem Innocentio III. Onuphr. & Ciacon. *in Innocentio 3.*

Fr. Angelicus sivè Angelicus *Grimaldi* de Brisaco Mimatensis Diœcesis, ex Canon. Reg. Congr. S. Rufi, Cardinalis S. Petri ad vincula, creatus ab Urbano V. cujus erat nepos, & secundùm nonnullos Frater. Onuphr. & Ciacon. *in Vrb. 5.* & Chron. Congr. S. Rufi.

D. Joannes Canonicus S. Crucis Conimbricen. Episcopus Sabinen. S.R.E. Cardinalis & Legatus Apostolicus in Regno Lusitaniæ. Ex tabulis Confecr. Eccl. S. Crucis Conimbr.

D. Ludovicus Alamannus Gallus, Canonicus Regularis, & J. U. D. celebris, ex Episcopo Maclovien. Archiepiscopus Arelatensis, postea ViceCamerarius & ProNuntius Bonon. Cardinalis Presbyter S. Cæciliæ, à Martino V. creatus. Onuphr. & Ciacon. *in Martino 5.*

D. Nicolaus de Cusa ex Canonico Regulari & Præposito Monasterij Vartobergen. Archidiaconus Leodiensis, expost Cardinalis Presbyter S. Petri ad vincula, creatus à Nicolao V. Onuphr. & Ciacon. *in Nicolao 5.*

XXXVII. Ciaconius etiam refert inter Cardinales ab Innocentio II. creatos Magistrum *Hugonem* de S. Victore, quem JOANNES de nigra VALLE, Joannes Molanus, & Raph. Volat. citati, inter Canonicos Doctores reponunt. Hic licet fuerit Natione Saxo, ita tamen dictus est à loco Professionis suæ, prout & Richardus à S. Victore & cæteri. Et quamvis Eminentiæ ipsius alij Scriptores præsertim verò Onuphrius Panuinus, (qui cùm fuerit solertissimus indagator & connotatista gestorum Summorum Pontificum, & munimenta Lateranensis Archivi non segniter ex Officio pervestigaverit, ideoq; sæpiùs à Nobis allegatus) nullam mentionem sub hoc Pontificatu fecerit, fortè inde est, quòd citiùs à mortis fato præventus fuerit, quàm Cardinalatûs insignia acceptaret, eò enim anno quo creatus est Cardinalis, juxta Ciaconum 1138. naturæ legem exolvit. Multum autem probabile est, quòd Ecclesia voluerit coronare tanti Doctoris religionem, dotes, & labores hujusmodi præeminentiâ, quem Thomas Cantipratanus ob excellentiam scientiæ alterum Augustinum vocat, & Canonia Parisiensis glorioso Epithaphio celebrat:

Conditur hoc tumulo Doctor celeberrimus Hugo:
Quàm brevis eximium continet Urna Virum!
Dogmate præcipuus nulliq; secundus in Orbe,
Claruit ingenio, moribus, ore, stylo.

Hunc Doctorem Vincent. Belvacen. & S. Antonin. Flor. Tit. 18. hist. & alij passim, hâc sanctâ magnificant memoriâ: Cùm graviter stomacho laboraret Hugo, & morti proximus esset, ut sibi SS.Eucharistiæ SacramentumFratres afferrent, efflagitaret, illi initoConsilio, at minùs sano, quòd præ debilitate stomachi nullum teneret cibum, hostiam non consecratam ei obtulerunt; at ille revelante Deo cognita fraude, eos increpavit, & ut ferrent verum Christi Corpus abire jussit; quo allato cum cerneret se illud sine periculo ejectionis sumere non posse, in hunc modum dixisse fertur: *Ascendat Filius ad Patrem, & servus ad Dominum*, quo dicto species disparuerunt, & ille eodem momento Deo spiritum reddidit. hinc illum toties citatus Gabr. Pennotus lib. 2. hist. trip. Cap. 33 §. 16. inter Beatos asserere non hæsitat.

XXXVIII. Præterea Volat. cit. in Antrop. sua Cap. 21. *S: Juonem* Canonic: Reg. S. Victoris Parisien. inter Cardinales memorat his verbis: *Ivo etiam ex eodem Cænobio Cardinalis, magnâ Vir famâ doctrinæ*, & illius procul dubio meminit Onuphr. *in Innoc. 2.* vocans eum *Magistrum Ivonem Gallum*. Adstipulatur his, præcit. JOANNES de nigra VALLE, quem inter Doctores recenset, Joannes Molanus Lib. 1. de Can. Cap. 23. & Joannes Trullus lib 1. de Ord. Can. Reg Cap. 5. dicens: *Ivo Episcopus Carnotensis & Cardinalis ex Præposito S. Quintini Belvacen. Ordinis Canon. Reg. D. P. Augustini, Vir in Divinis Scripturis exercitatus, & Canonum SS. Patrum ac Generalium Conciliorum acutissimus interpres, nec minùs sanctitate ac scientia reverendus, Ordinem suum diu collapsum magnificè reformavit. Scripsit post Burcardum Vormatien. Episcopum ex Canonibus Sanctorum compendiosum decretum, quo ante Grattani tempora utebantur Juristæ, quòd prænotavit Panormitanus. Epistolas ad diversos & quædam alia. Claruit sub Henrico IV. anno D. 1090.*

Extra hos plures alios refert ex Canonicis Regularibus inter Cardinales Joan. Bapt. Sigonius lib. de Canonicis Cap. 9. quorum quia memoriam non habet Ciaconius & alij, qui Romanorum Pontificum gesta scripsêre, fortè inde est, quia illorum tempora vel opera sunt subsecuti.

V.

V.

SCHEMA

PATRIARCHARUM

Ex Ordine CANONICORUM REGULARIUM

CONGREGATIONIS

S. SALVATORIS LATERANENSIS.

Iuxta præcit. IOANNEM *de nigra* VALLE.

XXXIX. Cùm certum sit ex antiquis Scripto-
ribus Ecclesiam Alexandrinam fuisse à prima Institutione sui Regu-
larem, legitimè sequitur non tantùm Divum *Anianum* qui *D. Marco*
Evangelistæ immediatè successit, ut communiter cum alijs sentit Jo-
annes Molanus citatus, sed etiam *D. Abilium* qui Aniano, & *S. Cerdonem*
aliosq; subsequentes, qui *Abilio* successerunt, Patriarchis Alexandrinis
annumerari debere, ut deducit Proprium Canon. Reg. Lat. suis An-
notationibus die 23. Februarij. Eisdem annumerandum censeo *S.*
Petrum Alexandrinum qui *Sanctißimo Theonæ successerat*, prout habet modo
allegatum Proprium Lateranensium *sub die 26. 9bris.* licet Joannes de
nigra Valle, prout & Annotationes super idem Proprium Ordinis,
illum Episcopum non Patriarcham esse velint, quæ etiam legentes
informant, quâ animositate innocuum cervicem mucroni subjecerit,
& *à summo deorsum usq; conscissam Christi Vestem (quæ est Ecclesia) ab Ario*,
commemorant, ex revelatione duodennis parvuli, eidem S. Martyri.
Eædem Annotationes insinuant cælestis ejus doctrinæ specimina, dùm
eum connotasse affirmant Canones Pœnitentiales, & Librum de Divi-
nitate elucubrasse. Ultra hos sæpè fatus Noster Gabr. Pennotus in sua
hist. trip. lib. 3. Cap. 54. numerat inter Patriarchas Antiochenos ex
munimentis Canoniæ Lucensis D. Raynerium de Castro veteri Prio-
rem S. Frigdiani Lucen. ab Honorio II. anno 1220. creatum. Huc
etiam spectat *S. Laurentius Iustinianus* ProtoPatriarcha Venetus, attenta
Canon. Reg. nomenclatione, sed quia ejusmodi Canonici S. Georgij
Venetiarum in Alega, prout & aliæ Congr. Canon. Reg. quas recen-
set modo cit. Pennotus lib. 2. Cap. 70. non sunt de primis Canonicis
à SS. Apostolis, vel D. Augustino institutis, licet ipsius profiteantur,
& observent Regulam, idcirco non appetentes ditescere sortis alienæ
reliquijs, extinctæ Congregationi singulare suum decus relinquimus.

XL. Nec refert si quis dicat quòd differentissimos & diversissimos moribus & vestibus
Canonicos Regulares Congregationi Lateranensi, tanquam membra corpori aptare & ag-
gregare contendamus (ut demonstrativè probat P. C. Molinet Chan. Regul de la Congreg.
de France Libro intitulato: *Figures Des Differents Habits Des Chanoines Reguliers*, vbi 25.
Iconibus repræsentat diversitatem Habitus Canonicorum Regularium, & sex differentias
Monialium, adeòq; etiam dictos Canonicos Nostris Lateranensibus sociare possimus; R. enim
imprimis non esse substantiale discrimen inter hos omnes, quoad rationem vivendi, licet
diversis Constitutionibus planè omnes regulentur, quia omnes tria vota essentialia emittunt,
& omnes sub una Regula D. Augustini militant, nec notabiliter diversum habitum interio-
rem portant (quidquid sit de exteriori & ejus colore vel forma) exceptis solis dictis Cano-
nicis S. Georgij Venetiarum in Alega, qui nullum signum lineum extra Divina Officia
gestare consueverant, sivè per modum Rocheti, sivè ad formam superpellicei cum mani-
cis, vel sine illis, sivè per modum hastæ (de quo videndus citatus Pennotus lib. 2. Cap. 69.
& Petrus Clareta in Collect. super statuta Canonicorum Regularium Cap. 16) quod est
illorum Habitus essentialis, ut clarè ostendit allegatus à Nobis Author supplementi Jacobus
Philippus Bergomen. Augustinianus lib. 14. fol. 363. ubi hæc adjungit: *Et licet in diversis locis*
diversi habitus reperiantur Canonici, tamen ut colligitur per Doctores in Cap. Deus qui de
vita & honest. Clericor. *diversitas ista non diversificat ipsum Ordinem in specie, penes Ha-*
bitum superiorem, sivè in forma, sivè in colore, cùm habitus superior non sit de substantia
Professionis; sed habitus interior, scilicet Tunica linea quæ est proprius habitus & legitimus
Canonicorum Regularium, & in eo propriè profitentur; ita enim pulchrè notatur ex glossa
Joan-

Joannis Andreæ, in verbo Habitus, in Clement. de elect. & electi potest. Cap. 1. ubi hæc habet: *Omnes Regulares Canonici, qui profitentur Regulam S. Augustini, licet varient in colore, quia aliqui habent colorem nigrum, alij album, alij griseum, alij mixtum, habent tamen communem habitum, Togam lineam, quam sub Cappa deportant.* Et tali Toga visuntur induti Apostoli in Tribuna Lateranensis & TransTyberianæ Basilicarum, Romæ, Mosaico opere effigiati, & similiter in Tribuna Ecclesiæ SS. Cosmæ & Damiani, prout & in alijs locis observari potest. Et ideò à Machumeto apud Nicolaum de Lyra in Cap. 6. Apoc. SS. Apostoli dicebantur *Viri dealbati.* Per quod roboratur magis Nostra sententia asserens Canonicos Regulares, institutos fuisse à SS. Apostolis; si enim universaliter Talitas Habitus probat talitatem Ordinis, ut inductione patebit, maximè cùm Habitus ex D. Thoma 2. 2. q. 185. a. 8 sit signum externum Professionis talis vel talis. à pari: Toga Apostolica probabit Viros Apostolicos, utinam nitore conscientiæ, ac candida veste lineâ Canonicorum Regularium.

XLI. Ipse Dominus Apostolicus, qui arcem Petri tenet non alio vestium apparatu utitur quàm lineo, & veste talari alba, per hoc Apostolicum indumentum exprimens, & quasi vivam Apostolicè vivendi imaginem Canonicis Regularibus in se repræsentans, ut rem exemplo deducit Noster Basilius Sirenius in Præfat. Indultor. sub Lit. Y. prout se audivisse asserit à D. Marco Antonio de Rovatis Canonico Regulari è Familia Lateranensi Pro-toNotario Apostolico & Concionatore: *Fortè (dixit ille) hospitabatur aliquando fel. rec. Paulus III. Farnesius in Canonia hac Nostra Portuensi, dumq; apud nos moraretur, quoties per occupationes liceret, Patres jubebat accersiri, Studentesq; potissimùm, quorum literariis concertationibus plurimùm se levari existimabat. Quadam autem die circumstante Canonicorum corona, eorum quempiam conspicatus: Eja (inquit Pontifex) ex quo lineum geris Rochetum, quali Nos ipsi utimur, albamq; subtus consimiliter Togam Almutiamq; ac Byretum, etsi colore, figurâ tamen haud absimiles videntur, qui putas priores adinvenerunt, aut Viri dederunt receperuntvè? Ad quem ille: Sancte Pater Vos ejus vicem geritis, in quo vivimus, movemur, & sumus; ideò omnia Nostra Vestra sunt, cunctaq; Sac. Sedi accepta ferimus, quare & vestes, & domicilium, & agnomen. Tum Pontifex: Nequaquam sed falleris; nisi enim coævi Nostri Clerici primitivi, habitu Nobis indiscreto usi fuissent, nullus Prædecessorum Nostrorum subditis indulsisset, ut tantopere Romano assimilarentur Præsuli; illaq; Nos ipsi eatenus Vos gestare sinimus, quòd Nobis compertum est, Vos ab illis originaliter proficisci, eorumq; successores esse & hæredes, qui utinam fervorem imitemini priscorum, quorum deducitis normam & instituta. Et addit*: Talia fatum Pontificem jurejurando contestatus est bonus senex.

Hinc minus rectè conclusisse videtur alioqui eruditus Noster Canonicus, Nicolaus Desnos, qui cùm esset in opposita sententia lib. 3. de Canonicis Regularibus Cap. 2. dicit, Summos Pontifices allegatos *sub Num. 41.* pro origine Canonicorum Regularium ab Apostolis, locutos fuisse opinativè magis quàm decisivè. Magis desipiunt illi, qui Canonicos Regulares novum quoddam fingunt inventum, non de illis ab Augustino creatis vel reformatis, quam injuriam nè quidem ipsi Nostri adversarij pati nos sinunt, licet invideant Nobis D. P. Augustinum contra probatissima Nostri Pennoti toto lib. 1. documenta, quem cum pluribus Sanctis ex Canonicorum Ordine, sibi approprient. Inter quos Nicolaus Crusenius Doctor in Monasticо Augustiniano part. 2. Cap. 6. sic vindicat calumniam: *In Hispania, extant antiquissimæ Ecclesiæ Canonicorum Regularium S. Augustini, præcipuè S. Mariæ Cæsaraugustæ, S. Mariæ Osmæ, ubi constat de sæculo in sæculum, ibidem subsistisse Canonicos Regulares S. Augustini. In Gallia pari antiquitate sunt Monasteria Aroasiense & S. Victoris, in quo Richardus ille sub Regula S. Augustini in eandem scripsit commentaria circa annum 1000. & scitur quòd illum plures, pluribus annis præcesserint. Miratus in Prologo Originum Regularium inquit S. Fulgentium, Prosperum Aquitanum Regij Episcopum, Magistri sui Augustini exemplum æmulatos, in Ecclesiis Cathedralibus Canonicos Regulares instituisse, idq; de aliis Episcopis scribunt alij, ita ut mirum sit criticos aliquos inveniri, qui ita novitiam velint hanc Regulam, & ita recens faciunt hoc Institutum, contra omnium Historicorum mentem.* En unius extranei in tam atroci injuria, super Nos vindiciæ,

VI.

VI.

SCHEMA

ARCHIEPISCOPORVM

Ex Ord. CANONICORUM REGULARIUM Apoſtolico

Iuxta præcit. IOANNEM *de nigra* VALLE.

XLII. **Ultrà memoratos à Joanne de nigra Valle** ArchiEpiscopos ex Ordine Canonicò, quorum computum ad 27:5. collegerat, plures alios annumerat Pennotus in sua trip. hist. sparsim, per totum; præsertim part. 3. Cap. 55. Verùm quia ad præsens tanquam unius ex domesticis causam non suscipimus, potiùs robur Principali hujus Operis Authori, quoad aliquos Sanctos, de quibus quæstio major, inter Scriptores, num fuerint Canonici Regulares? adjicimus. Et inprimis de S. *Alberto* Martyre Archiepiscopo Gnesnensi (quem præcitatus Joannes de nigra Valle, Pragensem dicit Episcopum) annotatur in Fastis Abbatiæ Tremesnensis, & in Bulla Benedicti XII. §. 19. quæ incipit: *Ad decorem.* Ubi patet Ecclesiam Gnesnensem tunc regularem fuisse. Et ego cùm essem Samboriæ in Nigra Russia, tempore irruptionis Sueticæ in Poloniam, anno 1702. adverti in Collegio Soc. JESU Imaginem ejusdem S. Antistitis, in Habitu Canonico, scilicet talari veste albi coloris, cum Rocheto & Mozetta nigra, desuper Pluviale & Mitra Pontificia super Caput ejus; cùmq; interrogarem Patres (quorum duo mihi astiterunt) quid de istius Sancti Instituto sentirent?, responderunt illum constare fuisse Canonicum Regularem. Hoc eodem tempore ijdem Patres mihi retulerunt, Collegium Leopoliense Soc. JESU exposuisse disputationi publicæ Philosophicas Theses cum Icone Divi *Ioannis Nepomuceni* Martyris, indigitante illum Habitu & Titulo expresso, Canonicum Regularem; quod ipsum egomet observavi in Officiolo Polonico, de eodem S. Martyre impresso Typis Schedelianis Cracoviæ, initio cujus visa erat ipsius effigies in Rocheto, & desuper Mozetta pellicea, quod vestimentum & insigne, est proprium Canonicorum Regularium in Germania.

D. Thomam Cantuarien. Habitum & Institutum Canonicorum Regularium in Monasterio S. Mariæ de Maretonia propè Londinum suscepisse, & ibi Professionem emisisse, testis est oculatus, Eduardus ejusdem D. Thomæ Clericus, qui ejus vitam scripsit, quiq; pro eo tuendo utpotè præsens S. Antistitis martyrio, in brachio vulnus accepit; nec non Gervasius Dorobernensis conCivis & Sinchronos S. Martyris Lib. intit. *Quadriloquus Cap. 4.* Raphael Holinscendius *pag. 407.* Polydorus Virgilius apud Holinscend. *pag. 447.* Matthæus Parisius *sub anno 1107. pag. 84. edit. Londin.* Petrus Skarga Polonus Soc. JESU in vit. ejus, Martyrolog. Scoticum apud Gilbertum Brunum Abbatem Dulcicordij *pag. 78.* & alij quàm plurimi apud Nicolaum Desnos, qui *toto Cap. 33. lib. 3. de Canonicis Reg.* multis argumentis deducit illius Canonicam Professionem. Hunc S. Martyrem etiam Cistersienses suæ Religioni adscribunt, fortè ex occasione diuturni, in Pontiniaco Monasterio cum eis, domicilij.

XLIII. Eisdem placuit appropriare sibi *S. Malachiam*; vel ex eo, quia dum adam profectionem pararet Romam, pro antiqua amicitia divertit ad S. Bernardum, ibiq; febribus correptus, decessit in Monasterio Claræ Vallis; vel quia in prima profectione 4tuor suos Socios in

eodem Monasterio Monasticis institutis imbuendos reliquit, per quos postea Ordinem Monasticum inter illas Gentes, quæ (ut idem Bernardus ait in vita S. Malachiæ) *Monachorum quidem nomen audierunt ab antiquo tempore, sed Monachos nondum viderunt*, propagaret; sed omnibus his præponderat authoritas Divi Bernardi citati, ubi Malachiam semper Clericum vocat, nunquam Monachum. Et deinde de illius alumnis verba faciens ait: *Malachias factus Dunensis Episcopus, confestim more suo curavit adsciscere ad solatium sibi de filiis suis Conventum Regularium Clericorum &c.*

De *S. Dunstano* recordor me aliquando audivisse à quodam Nostro Concionatore (sed ex quo Authore non quæsivi, quia nunquam supposui id subservire posse ad meum intentum) illum fuisse Canonicum Regularem (quod ipsum sentit Joannes de nigra Valle, & Proprium Ordinis) & quidem tantopere alienæ salutis cupidum, ut suam beatitudinem propter lucrum animarum distulerit; cùm enim quadam vice pro Concione se pararet, ex qua fructum Auditori sperabat, immediata die ante Concionem audivit vocem: *Dunstane veni ad Cælum.* reposuit ille: *Non ibo.* & ad interrogationem *Quare?* respondit: *Cras enim Concionaturus sum.*

XLIV. *S. Remigius* I. ArchiEpiscopus Rhemensis (quem inter Doctores Nostri Ordinis collocat Joannes de nigra Valle citatus, eò fortè ductus motivo, quòd Commentarios super novum & vetus Testamentum elucubraverit) *Clodoveo Francorum Rege Sacro fonte expiato*, prout habet Proprium Canonicor. Reg. Lateran. die 1. 8bris. *primus omnium doctrinâ & miraculis, Francos ad Christi Domini fidem perduxit. Unde non immeritò Francorum Apostolus dictus est &c.* Claruit circa annum 470. Idem & ibidem Joannes de nigra Valle meminit alterius S. Remigij Antisiodoren. Episcopi similiter ex Canon. Reg. qui super Michæam Prophetam scripsit Librum unum, & super Epistolas Pauli alterum. Porrò quantus fuerit in Rhemensi Ecclesia Reg. observantiæ rigor, vel ex illo casu, quem refert Thomas Cantipratan⁹ *Lib. 2. Apum Cap. 39.* colligere licet: *Decanum Rhemensem Canonicos ita viriliter pro excessibus correxisse, ut etiam Henrico ex Regali Genere orto, Archidiacono Rhemensi & Electo Præsuli Catalaunensi disciplinam dederit, quòd Exequiis Alberti Leodiensis Episcopi, injustissimè non minùs ac dolosissimè à militibus Henrici Imperatoris, propè Rhemensem Urbem occisi, sine veste Nuptiali (linea scilicèt) interfuisset cum multa turba Nobilium; nam cadavere inhumato*, (Molanus citatus lib. 1. Cap. 22. post sepulturam factum putat) *Decanus omnes Canonicos ad Capitulum vocavit, & dixit Electo: nondum ut puto Archidiaconatum aut Canoniam resignastis? cui Electus: nondum inquit. Ex quo intelligens Decanus ipsum adhuc esse sibi subditum, ait: Surgite ergo & dorsum ad disciplinam coram Fratribus præparate, eò, quòd sine veste nuptiali Chorum cum Canonicis contra Regulam introistis. Acceptâ ergo de manu Decani validâ disciplinâ Electus coram omnibus dixit: Gratias ago Deo & Patronæ Rhemensis Ecclesiæ, ejus piissimæ Genitrici, quòd te talem in hoc regimine derelinquo; hinc magìs locum istum diligam, & in Sede ista dignam severitatis memoriam venerabor. Hæcq; dicens Archidiaconatum & Canonicatum resignavit.* & in se verificavit vulgare illud proverbium: *Quantò Caput altiùs, tantò collum mollius.*

Etiam de *S. Petro* cognomento Chrisologo mentionem faciens, methodum principalis Authoris hujus Operis Joannis de nigra Valle transcendo, qui pariter inter Doctores Nostri Ordinis ei locum assignat, eò quòd Epistolas ad diversos, & Homilias super Evangelia miro ingenij acumine conscripserit; verùm Ravennatis ArchiEpiscopatûs præeminentia, in altiori ordine collocare illum contendit, prout & ArchiEpiscopos Dublinenses, scilicet *S. Rumoldum* Martyrem, de quo jam superiùs mentionem fecimus *sub Schemate III. Num. XXX.* & S. Laurentium Confessorem, quem ex Martyrologio Monastico Arnoldi, vindicat Proprium Canonicorum Regularium Lateranen. in suis Annotationibus *ad diem 14. 9bris.* & vitæ Apostolicæ *ad exemplum Beatissimi Patris Augustini* restituit.

VII.

VII.

SCHEMA

EPISCOPORUM

Ex Ordine CANONICORUM REGULARIUM Apost:

CONGREGATIONIS LATERANENSIS

Iuxta praecit. IOANNEM *de nigra* VALLE.

XLV. Præter alios complures, de quibus, ad gustum externa testimonia habere non vacat auget numerum Episcoporum ex Ordine Canonico-Apostolico *S. Martinus* Turonensis Episcopus, quem Gabriel Pennotus in hist. trip. lib. 2. Cap. 24. non solùm Professorem Canonici Instituti, sed etiam Propagatorem in Gallijs probat. ex Cardinali Baronio Tom. 3. Annal. sub anno 328. num. 22. Ubi de Monastico Clericorum Vercellensium Instituto, à B. Eusebio ex Orientali Ecclesia in Occidentalem advecto, differens, subdit: *Quod ipsum præstantissimum vitæ genus S. Martinus transvexit in Gallias, & S. Augustinus in Africam, qui admirabili connexione duo hæc, ut dictum est, omnium perfectissima vitæ genera, Clericorum & Monachorum in unum pariter conjugentes, tanquam lucidissimis astris, ut olim Martyres persecutionis tempore, Christi Ecclesiam exornaverunt.* Attende qualis fuerit S. Martini Monachatus, talis prorsus qualis Augustini in Africa, & Eusebij in Vercellensi Ecclesia. Apponit colophonem id, quod circa annum Domini 1003. contigisse sub Roberto Francorum Rege narrat D. du Chesne pag. 28. quodq; hausit ex Glabro Rudolpho hist. lib. 3. de innovat. Eccl. his verbis: *Eo quoq; tempore inter cætera B. Martini Turonensis Monasterium emicuit à Ven-Viro Herveo ejusdem loci Archiclavo, opere mirifico reædificatum, qui quidem suscepta licet coactus Ecclesiæ illius cura, vesteq; alba tectus, more Canonico, mentem tamen & vitam possedit Monasticam.* Unde habes argumentum contra eos, qui *à Monasterio* vel ex Ly *vita Monastica*, quàm plurimis Sanctis ex Ordine Canonico, Monachatum appingunt, & inter suos computant, siquidem in præsenti D. Martini Canonia nuncupatur *Monasterium*, & Clericale institutum à Divo Ambrosio Epist. 82. ad Vercellen. & serm. 69. in Natali B. Eusebij vocatur *Monasticum*. Baronius quoq; communiter omnes Regulares cum Monachis confundit, & plerumq; Canonicos Regulares sub nomine Monachorum comprehendit, quod Monachis speciosum colorem præbet Nostros Canonicos sibi aggregandi.

XLVI. Ejusdem Instituti fuit *S. Patritius* Hiberniensium Apostolus D. Martini Turonen. ex sororis filia, nepos, magnus Operator miraculorum. Nam ut habet Proprium Canonicor. Reg. sub die 17. Martij *mortuos 60. fertur adhuc vivens resuscitasse, & flumina signo Crucis stare fecisse, monstra placasse, serpentes & omne genus Venenatorum, tandemq; catervas dæmonum, visibiliter ex Hibernia propulsavisse.* & quod maximum miraculum est, Gentes illas duræ cervicis, *divina opitulante gratia, tùm verbo, tùm sanctæ conversationis exemplo, & aliis multis editis miraculis, sic tandem domuisse, ut tota illa Insula, suavi jugo Christi colla submitteret, ædificatis in ea 365. Ecclesiis, totidemq; Episcopis ad illas regendas, ordinatis, in quibus Ecclesiis Clericos communiter secundùm D. Augustini Regulam viventes, illum constituisse, constans illius gentis est traditio.* Et præterea ultra Joannem de nigra Valle, Raph. Volat. citatos, Joan. Trullum lib. 1. de Viris illustr. Canonicor. Reg. Cap. 5. Augustinum Ticinen. Gabr. Pennot. probat Vincentius Belvacen. in spec. hist. lib. 20. Cap. 23. & seq. S. Antonin. in Chron. part. 2. tit. 11. Cap. 18. §. 2. & in Summa Theologica

part. 4. tit. 14. Cap. 10. §. 8. Petrus Equilinus Episc. lib. 3. Cap. 205. Stahiurtus in vit. S. Patritij. Cogitosus in vit. B. Brigidæ. Robert. Richardinus in Reg. D. Aug. Et insuper adijcit robur illud, quod affert Matthæus Parisius in hist. Anglic. sub Stephano Rege anno 1153. pag. 116. edit. Londinen. de Purgatorio S. Patritij, dicens: *De hoc quoq; Purgatorio & ejus origine, quod sequitur tradunt veteres historiæ Hibernienses. Magnus Patricius, dum in Hibernia Verbum DEI prædicaret, & multis miraculorum signis coruscaret, bestiales illius Patriæ homines, terrore infernalium tormentorum, ac Paradisi amore gaudiorum à mortuis studuit revocare; sed illi plano sermone affirmabant se non convertendos iri ad Christum, nisi oculata fide prius conspicerent, quæ promisit. Unde dum D. Patritius pro salute populi in vigiliis & orationibus positus, Dominum precaretur propensiùs, pius DEI Filius apparens ei, duxit eum in locum desertum, & ostendit illi speluncam rotundam & obscuram intrinsecus, & dixit: Quisquis veraciter pœnitens, & in fide constans, hanc speluncam ingressus fuerit, spatio unius diei ac noctis, ab omnibus in ea purgabitur peccatis, quibus in tota vita sua Deum offendit, atq; eam ingrediens non solùm tormenta malorum, sed si in dilectione DEI constanter perseveraverit, videbit & gaudia Beatorum. Sic Domino disponente; B. Patritius tam pro Domini apparitione, quàm pro speluncæ ostensione lætus, sperabat miserum Hiberniæ populum, se ad fidem Catholicam conversurum, & in loco illo confestim Oratorium construens, speluncam quæ in Cœmiterio est ante frontem Ecclesiæ, circumdedit, & januam cum seris apposuit, ne quis eam sine ejus licentia introiret. Canonicos Regulares loco illo introduxit, & Priori Ecclesiæ clavem custodiendam commisit, statuens ut quicunq; Purgatorium ingredi voluerit, ab Episcopo loci licentiam habeat, & cum literis Episcopi accedat ad Priorem, & ab eo instructus Purgatorium intret. Multi autem in diebus Patritij Purgatorium introierunt, qui reversi testati sunt se tormenta gravia pertulisse, & gaudia magna ibidem & inenarrabilia conspexisse.* Quod si hæc fortè videantur, aliquib⁹ ambigua, legant Dionysium Carthusianum de 4tuor Novissimis art. 48. & sequentibus, ubi omnia revelationibus comprobantur.

XLVII. De *S. Eusebio* Martyre Vercellensium, & *S. Gaudentio* Novariensium, Episcopis, quòd fuerint ex Ordine Canonico-Apostolico patet ultra Joannem de nigra Valle cit. ex Carolo Mediolanensi Archi-Episcopo, part. 7. in Epist. de Translat. S. Simpliciani, & Carolo à Basilica Petri Novariæ Episcopo, in hist. *Novaria* nuncupata, ubi sic ait: *S. Gaudentius discipulus fuit S. Eusebij Episcopi Vercellensis, Lectoris Officio in ea Ecclesia functus. Eo duce & Magistro vel suscepit vel jam susceptam perfectiùs coluit Canonicæ vitæ disciplinam. Hoc ei tribuitur sac. literis quibus Ecclesia Novariensis, ejus laudes canit & celebrat; hæc in antiquis membranis habentur; hæc in ore Novariensium adhuc sonant; Positus in juventute B. Gaudentius studiosè rectam secutus est normam Canonicæ vitæ. Boni Sacerdotes, veteres, sequentes Verbum Domini, renuntiabant ijs quæ possidebant, abnegabant semetipsos, quod quidem præcipuum est. Non omnes tamen Canonicis quibusdam sese devinciebant institutis, ijs inquam institutis, quæ perfectò & ab Apostolis instituto perfectæ vitæ Canone continentur. Hoc S. Ambrosius Epist. 82. appellat Officia Monachorum cum Clericorum institutis conjungere, cujus rei Authorem in* Occi-

Occidente facit S. Eusebium Vercellen. Episcopum, Gaudentij Nostri Magistrum. Praeclarum sanè testimonium & valdè observandum, ex quo fatendum est perfectiorem Clericorum disciplinam & Monasteria Clericalia in Occidentalibus Ecclesiis ab eo profecta esse, & ipsum Augustinum ejus disciplinae Sanctissimum praecipuumq; cultorem, una cum Evangelio in hac Regione eam didicisse. Et hoc ipsum validiùs roborat Proprium Canonicor. Reg. Lateranen. cum suis Annotationibus *ad diem 22. Ianuarij, & 15. Iobris.* Ubi Eusebij familiaritas cum Angelis, & alia mirabilia describuntur, nimirùm: quòd Portas Ecclesiæ clausas ab Arianis ne in Episcopum consecraretur, oratione reseraverit; quòd navigium ex altera parte cujusdam fluminis existens, solo nutu ad se attraxerit; & pariter sine remige cum socijs flumen trajecerit; quòd Dionysium Mediolanen. Episcopum, qui damnationi S. Athanasij Episcopi, ad mandatum Constantij Imperatoris Ariani, subscripserat, sanctâ astutiâ ab infami censura & nota liberaverit; qualiter in Occiduis Partibus Ordinem Canonico-Apostolicum restauraverit, & Augustino M. hac in parte Præcursor extiterit &c. &c.

De eodem S. Eusebio & *Basilio M.* qui pariter juxta Joannem de nigra Valle fuit Canonicus Regularis, patet ex Joanne Molano lib. 1. de Canonicis Cap. 7. sic loquente: *Memini quidem Ambrosium scribere ad Vercellenses, Eusebium eorum Episcopum in Occidentis partibus primum Clericis Monachorum instituta conjunxisse, ut quamvis communi sententia dicatur Augustinus primus Clericali vitæ Monasticam adjecisse, non tamen absq; anteriori exemplo, (quod ei cùm Mediolani cum Ambrosio versaretur, innotuisse credo) hoc fecisse videatur. Neq; verò hac de causa vulgata sententia velut erronea perstringenda est; nam cùm Eusebius Vercellis uno in loco Clericos effecerit Monachos, hoc idem S. Augustinus addita regula ita fecit in Clero suo Hipponensi, ut ad eandem pietatem multorum aliorum locorum Clerum attraxerit; ut cùm Eusebius sui Vercellensis Cleri fuerit Reformator, Divi q; Augustini in ea re præcursor, hic tamen paulò post præcursoris vestigia secutus, tam copiosum multorum locorum Clerum, ad Monasticæ vitæ exercitia attraxerit, & nihilominus in Officio Clericali permanere voluerit, ut meritò primus non hujus aut illius Cleri, sed ipsius Canonici Ordinis Reformator in Occidente, ut Basilius M. in Oriente habeatur.*

XLVIII. Hinc tamen trahi non potest recta consequentia in comprobationem alicujus falsæ sententiæ, dùm aliqui in Gallijs à S. Rufo, alij à B. Arnulpho ArchiEpiscopo Lugdunen: alij à S. Augustino, alij à Concilio Aquisgranensi, alij à S. Athanasio in Oriente, ab Eusebio Vercellensi in Occidente &c. Canonicos Regulares ortum cæpisse comminiscuntur; jam enim ante hos omnes ipse Eusebius lib. 6. Cap. 16. Hieron. Epist. ad Rustic. & Nepot. Philo dist. 93. Cap. *Diaconi* institutos in Alexandrina Ecclesia, Canonicos Regulares per B. Marcum Evangelistam fatetur, *tales perhibens Marci Clericos extitisse, quales Lucas describit discipulos Apostolorum, & quales sua ætate Monachi esse nitebantur.* Eosdem in Patriarchali Jerosolymitana Ecclesia ad Christi Sepulchrum institutos per B. Jacobum minorem: jam verò per majorem Jacobum in Cæsaraugustana in Hispanijs, nuncupata S. Mariæ

Majoris, sivè de Columna, vulgò de Pilari. Angelicis manibus elaborata, probat Noster Gabr. Pennot. cit. lib. 2. Cap. 30. & 41. Et prætet dicta *sub Schemate 1. per tot.* firmat Urbanus I. Papa Martyr in Cap. *Scimus* inquiens: *Vos non ignorare quod hactenus vita communis viguit, & maximè inter eos, qui in sortem Domini sunt electi*, prout sunt Clerici Canonici. Et patentiùs Clemens Romanus Pontifex D. Petri successor, in Epist. ad Iacobum Fratrem Domini, inserta, in Cap. *Dilectissimis* 12. qu. 1. *Communis vita omnibus necessaria est, maximè his, qui DEO irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolorum imitari volunt. Unde Consilium dantes Vestram prudentiam hortamur, ut ab Apostolicis Regulis non discedatis, sed communem vitam ducentes, quæ benè novistis, adimplere satagatis.* Et seipsum declarans ejusdem esse Instituti dicit: *Istius consuetudinis more retento, etiam Apostoli, eorumq discipuli, una Nobiscum & Vobiscum communem vitam duxerunt.* Ad idem conducit quod affert Zacharias Ferrerius Vincentinus, Theologus & Iureconsultus in sua allegatione pro Canonicis Regularibus ad Leonem X. num. 25. de *S. Rufo*: *Rufus, ut tradunt historiæ, fuit discipulus Apostolorum, & Clericus Regularis, primusq Episcopus Avenionensis; unde & dictam Ecclesiam Avenionen. Metropolitanam, per Canonicos Regulares gubernandam instituit. Instituit et Canonicam in Delphinatu sub Abbate extra muros Valentiæ, in qua et corpus ejus nunc requiescit, appellaturq Abbatia S. Rufi, et est dignissima, habens sub se innumeras pænè Abbatias, Præposituras, ArchiPresbyteratus et Ecclesias Collegiatas et Parochiales in tota Gallia.* Per quæ magis apparet Institutum Canonicum viguisse tempore Apostolorum.

XLIX. *S. Papinianus* Episcopus Vticen. & Martyr quem Joannes de nigra Valle cit. Pipinum appellat, Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus Papyrium, fuit unus eorum, qui vitâ functo D. P. Augustino circa annum 431. VVandalis in Africam irruentibus, ob Arianæ impietatis detestationem martyrium subière. Inter quos ex Episcopis numerantur *S. Valerianus* Episcopus Abensis, *Vrbanus* Episcopus Girbensis, *Crescens* Aquitanæ Ecclesiæ, *Eustachius* Episcopus Sufetanus, *Cresconius* Episcopus Eensis, *Crescentianus* Episcopus Tripolitanus, *Felix* Episcopus Adrumentinus, *Hortulanus* Episcopus Tripolitanus, *Florentianus* Episcopus Vicessebatanus. Item *S. QuotVultDeus* Episcopus Carthaginensis, *S. HabetDeus* Episcopus Tamallumensis, *Gaudiosus* Episcopus Bitinensis, *Lætus* Episcopus Leptinensis, *Mansuetus* Episcopus Wicitanus, *Armagastus, Archimimus, Satyrus, Domitianus, Præsidius, Germanus, Flosculus.* Quibus etiam adjungendus videtur *S. Veramundus* Hipponi Regij Episcopus & Confessor.

S. Emirtius Episcopus Aurelianensis, de quô præter Joannem de nigra Valle cit. Ioannes Philippus Novariensis, qui Gallicarum Ecclesiarum multa tabularia perlustravit, hæc lib. 4. suæ Chron. Cap. 14. scribit: *Emirtius Sanctissimus Aurelianensium Episcopus, et Canonicus Regularis dignissimus, filius fuit cujusdam Nobilissimi Viri Romani, qui in pueritia in timore Domini educatus, cùm ad adolescentiam pervenisset, liberalibus disciplinis operam dedit, quibus solerter insistens, brevi quod concupierat assecutus est. Cum verò ad juvenilem pervenisset ætatem, Spiritus S. Unctione præventus, sæculo mundana relinquens*

quens

quens, Parentibusq; vale faciens, in Monasterio Lateranensi Canonicus Regularis efficitur, ubi tanta humilitate et virtute emicuit, jejuniis, contemplationibus, et abstinentiis insistens, quod mirum omnibus videatur. Contigit illis diebus in Galliis Episcopum Civitatis Aurelianensis emori, quare Cives amisso Pastore inconsolabiliter lachrymas fundebant, peractoq; exequiarum Officio unà conveniunt et Legatos Romam mittunt ad Pontificem rogantes, quatenus sibi Pastorem deligere dignaretur. Venientes autem Legati Romam, ad Pontificis pedes prostrati dari sibi Episcopum instanter postulabant, quos Pontifex benignè suscipiens, jussit bono animo esse, et exacto triduo ad se redire. Interim convocato Clero, jubet Orationibus insistere omnes, ut Dominus Civitati Aurelianensi de Pastore Sancto providere dignaretur. Elapso triduo, jussit Pontifex Legatos ad Ecclesiam Lateranensem accedere, et super quem viderent columbam de Cælo descendentem, ipsum ad se adducerent. at illi velociùs jussa complentes ad Ecclesiam Later. accedunt, atq; ibidem Missarum Solenniis insistentes, viderunt super Emirtium Subdiaconum columbam descendentem, cùm de more Epistolam decantaret. Quod illi videntes lætitiâ replebantur, et Missarum Solenniis expletis, ipsum Emirtium de voluntate Patris Monasterij, Pontifici præsentaverunt, qui gratias DEO agens ipsum Episcopum consecravit, et ita læti cum Episcopo Emirtio in Gallias reversi sunt, ubi per multos annos B. Emirtius Sanctissimè vixit, tandem bona senectute obdormivit in Domino. 7. Idus 7bris. Hæc omnia probat Proprium Canonicorum Regularium Lateranensium *in Lectionibus 2. Noctur.*

L. *S. Ildephonsus*, alijs Illefonsus, vel ut alij volunt Alphonsus B. Eugenij Toletani ArchiEpiscopi nepos, & in ArchiEpiscopali munere Successor, nec non Divi Isidori Hispalen. Episcopi paritèr quondam Canonici Regularis discipulus fuit, & Professus in Agalonensi Monasterio, quod Canonicorum Regularium fuisse constat, (præter Joannem de nigra Valle, Fr. Alphonsum Orozco *in Chron. B. Aug. et suorum Eremit.* & Ioannem Philippum Novarien. in Chron. lib. 4. Cap. 13. &c.) ex resolutione Doctoris Francisci de Pisa lib. 2. hist. Tolet. ubi sic ait: *Non minor est difficultas in verificando cujusnam Ordinis Regularis ex tunc approbatis, fuerit Monasterium Agaliense, cujus fuit Monachus S. Ildefonsus et etiam Abbas, et sub qua regula, et instituto illi Monachi viverent, cùm certum et constans sit per ea tempora nullam aliam Regulam in Occidente, præter Augustini et D. Benedicti servari solitam. Multi affirmant Monasterium Ordinis D. Benedicti extitisse, cujus sententiæ sunt Trithemius, Petrus de Alcozor et Marieto de Sanctis Hispaniarum et Michael Carranza in vita istius Sancti, quæ cum libro ejusdem de Virginitate B. DeiGenitricis MARIÆ habetur. Eidem Fr. Prudentius de Sandoval, adhæret, secutus cujusdam opinionem, qui chartas nonnullas in Librarij domo solutas invenit. Primum hujus sententiæ fundamentum est Nomen Monachi, et Abbatis, quo nomine illi utuntur, qui S. Ildefonsi historiam scribunt, quod Professorum Ordinis D. Benedicti proprium videtur. Verùm Breviarium Toletanum, quod per multos annos Ecclesia prædicta in usu habuit, nimirum ab Urbe recuperata, usq; ad reformationem Pij V. clarè dicit et repetit in octava Lectione, illud fuisse Canonicorum Regularium. Idem ait Liber ille vetustus de Viris SS. Isidori et Ildefonsi, ex Bibliotheca S. Ecclesiæ scilicet Toletanæ, alias allegata. Idem etiam habebant Libri: Flos Sanctorum nuncupati, qui vulgari idiomate cir-*

circumferebantur, *ante editum librum à Magistro Villegas, quorum unus à quodam Fratre S. Hieronymi, alij ab aliis longè ante fuerunt editi. Idipsum Ioannes Trullus Prior S. Christinæ lib. 1. de Ord. Canonicor. Reg. Cap. 6. scribit, nixus Authoritati Fr. Alphonsi de Orozco in Chron. Ord. S. Aug. Nec mirum, quod Fratres Augustiniani et Monachi Benedictinenses, hunc Sanctum adeò illustrem, quisq; in numero suorum habere velint; quemadmodùm de stirpe Homeri post illius obitum, multæ Vrbes decertaverunt. Vtraq; Opinio probabilis videtur, nec in tanta controversia Iudicem volo agere; eligat quisq; quod magis probaverit. Hoc solùm adverto in nomine Abbatis, quod hujus Monasterij Præfecto tribuitur, parum momenti constitui, quandoquidem ante Institutum Ordinem D. Benedicti, ante eos, qui eremum colebant, jam in usu erat; sed nec ipse D. Ildephonsus in suo libro de Viris illustribus Cænobij Præfectum, Abbatem vocat, sed Rectorem. Multò minùs vim facit Nomen Monachi, quod omnibus communem vitam simul ducentibus commune est, à Græco Nomine Monos deriuatum quod significat unum, et est illorum omnium proprium, qui in communi viuentes, plures unum fiunt, habentes scilicet cor unum et animam unam, sicut in Actis Apostolorum legimus. Ita etiam eleganter Augustinus in Ps. 132. ostendit se et suos in Congregatione secum, jure et propriè Monachos uocari potuisse: Quare inquit Nos non appellemus Monachos? cùm dicat Psalmus: Ecce quàm bonum, et quàm jucundum habitare Fratres in unum etc.*

LI. An ergò acquiescendum Trithemio Benedictinensi Abbati, qui cum suis sequacibus pro ornamento suæ Congregationis, *detraxit tertiam partem stellarum* Nostri Ordinis, ut Petrū Damiani, Gregoriū Ultrajecten. Herculanum, Ludgerum, Floridum, Dunstanū, Wilelmum, Trudonem, & alios cōplures Sanctos contra manifestissima Gabr. Pennoti, in hist. trip. documenta, & annotationes *in Proprium Canonicor. Reg.* An approbatæ per sæcula in Breviario Toletanæ Ecclesiæ veritati? quisq; sanè judicet. Hæc nihilominùs sola authoritas, præponderare deberet universo agmini Benedictinen. Scriptorum, utpotè pro Domo sua perorantium, quibus opponere valentiorem acervum liceret, si domesticorum Authorum documentis decertare luberet, alioqui contento, non interessata recognitione externorum Chronistarum. Iudicet inquam, qui non est interessatus aliquo respectu Benedictinensium Ordini, vel livore non æstuat in Regulares Canonicos, quàm speciosum nactus sit argumentum Trithemius arrogandi Monachis Canonicos. ex Ly *Abbas*, & ex Ly *Monachus*, quasi nescius etiam Canonicorum Præsides vocitari *Abbates*, & Canonicos *Monachos* appellari, & quidem à multis sæculis ut ostendit *quoad Primum* Concilium Turonen. III. sub Ludovico Pio anno 813. celebratum, quod Cap. 14. sic habet: *Simili modo et Abbates Monasteriorum, in quibus Canonica Vita antiquitus fuit, uel nunc uidetur esse, solicitè suis prouideant Canonicis, ut habeant claustra et dormitoria, in quibus simul dormiant etc.* Et antiquius Concilium apud Vernas celebratum anno 755. sub Carolo M. Cap. 18. hæc dicit: *ut nullus Clericus ad Iudicia laicorum publicè conueniat sine jussione Episcopi sui, uel Abbatis.* Et his antiquior Ven. Beda, qui fuit circa annum 700. lib. 4. hist. Anglic. Cap. 4. de Monasterio in Iugeto, verba faciens hæc notat: *Ad exemplum* inquit *Venerabilium Fratrum sub Regula &*

Abb*a*-

Abbate Canonico in magna continentia et paupertate proprio labore manuum vivunt. 2dum patet ex ipso Trithemio lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, & ex Cardinali Bellarmino similiter de Scriptoribus Ecclesiasticis, Joanne de nigra Valle cit. & alijs, qui Hugonem, Richardum Victorinum, & cæteros Canonicos, vocant Monachos Ordinis Canonicorum Regularium. Sic etiam nuncupatos reperio ab Anastasio S. R. E. Bibliothecario in Gregorio IV. ubi ait: *Illum in Ecclesia B. Mariæ Trans-Tyberim, Romæ, Monachos Canonicos aggregasse, qui ibi officium facerent, et Omnipotenti Deo grates et laudes redderent.* Divus quoq; Bernardus Epistolam scripsit Odoni *Abbati* Regularium Clericorum, alias *Abbati* Trecensi Canonicorū Clericorum; & Nos paulò superius *sub Num XLV. & XX.* plura ex diversis annotavimus. Specialitèr autem præter dicta de Monasterijs Canonicorum, addit sæpè citatus Molanus *Lib. 1. Cap. 12.* dicens: *Hujus rei nonnulli adeò sunt imperiti, ut dùm alicubi incidunt in locum quempiam apud superiorum ætatum Scriptores, in quo Canonicorum Collegium vocatur Monasterium, aut errorem esse, aut Monasticum Ordinem, antequam Canonici essent, in eo viguisse putent, non alia ratione moti, quàm quod videant Monasterij nomen illi aliquando tributum esse. Quorum quàm sit infirma illa ex nomenclatura desumpta ratiocinatio ignorare non possunt, qui animadvertunt ex usitata quorundam locutione, omnia Canonica Collegia, olim dicta esse Monasteria.* En futile fundamentum ex Nomine Abbatis, vel Monasterij, vel Monachi reddere Nostros Nobis adjudicat.

LII. *S. Frigdianus* Lucensis Episcopus, Patriâ Hibernus sivè Scotus, Hultachij Regis Ultoniæ Filius, à Pelagio I. inter Canonicos in Lateranensi Basilica tunc regulariter viventes, constitutus, expost Lucam secessit, ubi constructo Monasterio, remotè à populi frequentia, in vicinia Camaldulensis Familiæ (ob quod Camaldulenses illum sibi arrogant, contra sensum Joannis de nigra Valle, Raph. Volater. citator, & contra Nicolaum Crusenium citandum) vitæ normam quam in Laterano didicerat, instituit. Tandem ob famam illius sanctitatis à Lucensibus postulatus Episcopus, circa annum 556. ab eodem Summo Pontifice consecratus est; ibiq; adeò feliciter Institutionem Canonicam radicavit, ut brevi illa Ecclesia in amplissimam Congregationem excreverit, & multorum Monasteriorum Caput & Parens extiterit; & quod majus est ipsiusmet Lateranensis Basilicæ, sub Alexandro II. quondam Canonico Regulari S. Frigdiani & Episcopo Lucensi, Restauratrix, ut de illa verificari possit illud Poetæ:

Mater me genuit, eadem Mater gignitur ex me.

prout fusissimè describit Author supplementi Jacobus Philippus Bergomensis Augustinianus cit. lib. 14. fol. 363. quanquam postea Lateranensis Congregatio, Frigdionariæ, gratas vices rependerit, cùm eam (abeuntibus in diversa studia S. Frigdiani Canonicis & propter hoc multis amissis Monasterijs) in suum, cum decem remanentibus Prioratibus, admisit consortium, & in unum Corpus circa annum 1517. sub Leone X. aggregavit. Ut notat Noster Gabr. Pennot. sæpiùs citat. lib. 2. Cap. 45.

S. Bennonem Episcopum Misnensem dispensatum à Monachatu per Leonem IX. ad instantiam Henrici III. Imperatoris, ex fine reformandæ Congregationis Goslarien. Canonicorum Regularium, deducunt Annotationes *super Officia Canonicorum Regularium Lateranensium ad diem 16. Iunij.* Ubi etiam Noster Gabriel Pennotus asserit se vidisse Romæ imagines Divi Bennonis, typis æneis cusas, cum Habitu Canonicorum Regularium, Germanorum, scilicet cum Rocheto sine manicis. Joannes verò Kwiatkiewicz Soc. JESU Polonus, in supplemento Baronij meminit, Canonizationis ipsius, ab Adriano VI. anno 1523. de qua cùm obaudisset (inquit ille) Lutherus, scripsisse fertur Librum, apposito illi in fronte Titulo: *Adversus novum Idolum, et antiquum diabolum, qui Misnæ exaltandus est.* Idem eundem S. Antistitem scribit habuisse peculiare dominium super aquas; nam dicit illum aquam in Vinum velut in Cana Galilææ, vertisse, flumina sicco vestigio calcasse, fontes uberrimos de terra sitienti produxisse. Insuper addit hoc mirabile, quòd dum Comitem Misnensem Vindicando libertates Ecclesiæ excōmunicasset, & propter hoc in exilium pulsus fuisset, claves suæ Ecclesiæ in profluentem aquam projecit, quas postea redux, ex alvo piscis capti & exenterati, recuperavit.

S. Gregorius Episcopus Trajectensis seu Ultrajecten. Canonicus Regularis, Professus in Ecclesia Trajectensi Cathedrali S. Martini, quæ tunc fuit cum altera Ecclesia S. Salvatoris Canonicorum Regularium ut patet ex Annotat. Officiorum SS. Aquilini, Ludgeri, Odulphi & Marcellini, & ex vita B. Bonifacij Episcopi & Martyris, quæ habetur apud Surium Tom. 3. die 6. Julij. Ubi de eo sic legitur: *Volens cultum Divinum ampliare, condidit Monasterium S. Salvatoris juxta Oratorium S. Crucis, Trajecti, et illic ex S. Martino 40. Canonicos Cænobitales transferens (erant enim 80.) et ipse Canonicè cum eis vixit.*

S. Albinus in Provincia Venetorum ortus, juvenis adhuc, ingressus est Monasterium Ordinis Canonicorum Regularium; postea verò suis id poscentibus meritis, Abbas ejusdem Monasterij creatur, & tandem Episcopus Urbis de Anges in Gallia effectus, miraculis clarus in Domino obdormivit. Ita Fr. Alphonsus Orozco in Chron. B. Aug. & suorum Eremit. Joannes de nigra Valle, & Proprium Canonicorum Reg. Lateranen. ubi cum ipso facta, & per ipsum patrata miracula, annotantur. E quibus unum duntaxat ut est impressum recito: *Nam profectus extra Monasterium in obsequium sui Abbatis, cùm imber vehementißimus omnes qui cum Albino erant madefecißet, illæsus mansit, ut ne gutta quidem aquæ illum ausa fuisset attingere. Præterea duos mortuos adhuc uiuens resuscitauit; et cæcis uisum contulit; et dæmones ab obseßis corporibus fugauit.* &c. &c.

S. Ansoinus Camerini Episcopus, quòd aliquando fuerit Canon. Reg. constans est illius Civitatis traditio, & idipsum probant antiqua Numismata, in quibus videre est ex una parte ejus effigiem, ex altera inscriptionē cum expressa mētione Canonicæ Professionis ejus. Et tale numisma Noster Pennot⁹ loco immediatè citato, se vidisse & servasse testatur.

LIII. *S. Aldobrandus* Natione Flaminius, Patriâ Cesennas, ex Canonico

nico Monasterij Portuensis, Præpositus Ariminensis, postea Episcopus Forosempronien. ut referunt tabulæ Ecclesiæ Ariminen. & Forosempronien. quarum exemplar ex Cancellaria Forosempronien. sibi transmissum de Canonica illius Professione recognoscit Noster Pennotus in hist. trip. lib. 3. Cap. 50. ad fin. & Hieronymus Rubeus in hist. Ravennaten. lib. 5. sub anno 1119. de S. Damiano loquens ait: *Proximo anno qui fuit à partu Virginis 1119. Petrus Peccator,* (tali namq; cognomento etiam *Sanctus Dei* & magnus Ecclesiæ Prælatus Petrus Damiani in literis utebatur) *Senex obijt 4. Cal. April. Ravennæ in Portuensi à se extructo Cænobio, ibiq; ad lævam ingredientibus templum, juxta sac. turrim sepultus est. Ab eo plurimum is propagatus est Ordo, qui nunc Canonicorum Lateranensium vocatur, egregium certè bonorum hominum ac Doctorum Seminarium. Illius leges à Rhenensibus Bononiæ, Nicosiensibus in Pisano, à multisq; præterea acceptæ & servatæ sunt, cùm interea confluerent undiq; complures ad Portuense Cænobium, in disciplinamq; sese ejus Canonicis traderet. In ijs fuisse* Aldobrandus *legitur, qui in Oppido Sorbetulo è Bobio seu Galliata, propè Cesennam natus, & in Grammatica eruditus, in Portuense Cænobium, ut majores in literis & pietate progressus faceret, se contulit. Cùm autem Ariminenses Canonici Præposito destituti, peterent (ut fieri ab illis consueverat) ex eorum Conventu aliquem ipsis idoneum præfici, qui virtute præstaret, Aldobrandum obtinuerunt, qui deinde Forosemproniensium Episcopatum adeptus, Calendas Mai decedens, in Divorum numerum relatus est.*

S. Ubaldus Episcopus Eugubinus Professione Canonicus Regularis fuit in Cænobio Portuensi, unde regularis vitæ instituta accepit, & ad restaurandam Eugubinæ Ecclesiæ disciplinam regularem, transtulit, ut notat Joannes Molanus *cit. lib. 1. Cap. 23.* Fr. Alphonsus Orozco citatus & B. Theobaldus primus illius in sede Episcopali Successor & coætaneus, qui ejus vitā scripsit; dicēs: *Postmodùm verò ad Ecclesiam B. MARIÆ in Portu Ravennæ Canonicorum Regularium Lateranensium perrexit, ubi satis honestè Apostolica servabatur regula institutionis, & splendor in omnibus fulgebat totius sanctitatis: ibi ergò tribus Mensibus sub disciplina Canonicorum illorum regulariter vixit, quatenus discipulus veritatis factus, sine errore postea doceret, quod primum visu & auditu veraciter didicisset. Scriptam itaq; Canonici Ordinis Regulam, rediens attulit, eamq; Canonicis omnibus proponens, Divino comitatus adjutorio, servandam injunxit, factumq; ut ex illo tempore cuncti regulariter viverent, & Canonicum Ordinem omnes devotè custodirent.* Successit ad mentem intentum Ubaldo, prout eventus re ipsa, & DEUS miraculo, probavit; nam cùm ad propria ubi erat Prior in Cathedrali Eugubina ad SS. Marianum & Jacobum, à Portuensibus Canoninicis repedasset, & Constitutiones minùs cautè in nemore subsistens, reliquisset, & immediatè post, imber è Nubibus cecidisset, recordatus Ubaldus damni, non minori anxietate quàm festinatione retrò contendit, & librum secus viam in terra circumcirca madefacta, prorsus illæsum & intactum invenit.

LIV. Hos & alios Sanctos Episcopos, prout in Schemate, ex Ordine Canonicorum Regularium memorat Joannes de nigra Valle citatus usq; ad 20135. & addit ad cumulum subsequentes, Proprium Canoni-

nonicorum Regularium Lateranensium, probans Professionem illorum Canonicam, Annotationibus appositis (quæ mihi sunt pro maximo argumento ad materiam assumptam, ideóq; sæpius à me allegatæ, quia plerumq; ultra Joannem de nigra Valle infarcinatæ manent Externorum Scriptorum, quibus innituntur & infundantur testimonijs) addit inquam *S. Melanium* Episcopum Rodonensem, cujus Joannes de nigra Valle meminit, & alterius, ejusdē Nominis Episcopi Rotomagēsis, Confessorum, *S. Inventium* Episcopum Ticinen. Confessorem, *S. Vedastum* Episcopum Artrebatensem Confessorem, *S. Leandrum* Episcopum Hispalensem Confessorem, *S. Herculanum* Episcopum Perusinum Martyrem, *S. Ollegarium* Confessorem, Episcopum Barchininen. & Archi-Episcopum Tarraconen. *S. Ludgerum* Episc. Monasteriensem Confess. *S. Guillelmum* Episcopum Pictavien Confess. *S. Isidorum* Episc. Hispalen. Confess. *S. Possidonium* Episcopum Calaminæ Confessorem *S. Raymundum* Episcopum Barbastensem Confessorem, *S. Alipium* Episc. Tagasten. Confess. *S. Firminum* Episc. Ambianen. Martyrem, *S. Thomam* Episcopum Heresfordiensem Confessorem *S. Cerbonium* Episcopum Populonij Confessorem, *S. Gaudentium* Episcopum Ariminensem Martyrem, & alterum Novariensium Episcopum Confessorem, de quo sub *Num.* 47. *S. Fulcum* Episcopum Papiensem Confessorem, *S. Guirandum* Episc. Bitterensem Confess. *S. Floridum* Episc. Tudertinum Confess. *S. Eucherium* Episc. Lugdunensem Confessorem, aliosq; complures quorum deducentes Professionem Canonicam paulò ante commemoravimus.

Ultra hos omnes, Noster Gabr. Pennotus *in sua trip. hist. lib. 2. & 3. sparsim*, potissimū *Cap. 54. & sequ.* de Nomine & cognomine recenset alios supra mille, quales ex præcipuis solius Conventus Cremonensis sunt, de quibus ait lib. 3. Cap. 19. in hæc verba: Obijt ano 1524. quo tempore supremam Præfecturam Congregationis gerebat *D. Sixtus* de Rhenis Cremonen. sac. Concilij Trid. Prædicator & Theologus, Divinarum Scripturarum eruditione singularis, postea Episcopus Carinulæ, qui cùm gregem sibi commissum aliquot annis optimè rexisset, non sine magna sanctitatis fama, ex hoc fragili ergastulo ad Cælestem Patriam commigravit. Item *D. Matthæus* Brumanus Serenissimi Ducis Mantuani, apud Sedem Apostolicam Orator, primum Nicomedien. deinde Melphitanus Episcopus, obijt anno 1596. Item *D. Archangelus* de Rubeis Theologus eruditissimus, prout illius Commentaria in 4tuor Libros Sententiarum, nuper edita testantur, à Paulo V. Episcopus Carinulæ designatus, obijt anno 1618.



VIII.

VIII.

SCHEMA

ABBATUM

Ex Ordine CANONICORUM REGULARIUM

S. SALVATORIS LATERANENSIS

Iuxta præcit. IOANNEM *de nigra* VALLE.

LV. PRincipalis hujus Operis Author IOANNES de nigra VALLE ingentem planè exercitum Abbatum ex hoc Ordine suis temporibus annotavit, scilicet 100567. Plures adhuc sparsim enumerat Noster Pennotus in hist. trip. per tot. multò plures humilitatis amor, abdicatâ liberè hujusmodi excellentiâ, cum simplicibus Superioribus, magnos licet, meritis & scientiâ Prælatos, coæquavit, prout devenio ex quodam Brevi Sixti Papæ IV. quod subnecto: *Dilecti Filij salutem & Apostolicam benedictionem. Intelleximus à dilecto Filio Celso Rectore Generali Vestro, nonnullos populos molestè ferre & conqueri, quosdam Abbatiales Titulos, qui apud eos honoris loco habebantur, ad Vestram instantiam, authoritate Apostolica fuisse immutatos. Nos igitur memoratorum populorum consolationi consulere volentes, omnes Abbatiales Titulos, qui quoquo modo in locis per Vos susceptis immutati extinctivè sunt, instauramus, ac denuò erigimus, ad pristinum statum ac dignitatem Abbatialem reducimus. Concedimus insuper & plenam damus Vestris duntaxat Prælatis facultatem, benedicendi paramenta pluvialia, planetas, casulas, albas tunicas, tunicellas, tobalcas & cæteras vestes, tàm Sacerdotibus, quàm Altari congruas, Vestris tantummodò usibus in Divino honore deputandas &c. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 30. Martij 1480. Pontificatûs Nostri anno nono.*

Porrò ex Abbatibus quos Proprium Canonicorum Regularium pro Sanctis celebrat; est *S. VVilhelmus, S. Gualterus, S. Theodoricus, S. Beregisius* & *S. Ioannes* Natione Anglus S. Mariæ de Bridlinctona Eboracensis Ecclesiæ Canonicus, & ejusdem Monasterij Prior, vel ut alijs placet Præpositus sivè Abbas, omnibus enim istis appellationibus, à Scriptoribus notatum invenio. Hunc dicit JOANNES de nigra VALLE tres mortuos resuscitasse. S. *Gualteri* Abbatis vel ut alij volunt Præpositi Stirpensis, ultrà Proprium Canonicor. Reg. Lateranensium *sub die 11. Mai* vel illud Professionem Canonicam probat, quod scribit Noster *Ivo* Carnotensis Epist. 202. ad eundem S. Abbatem: *Ideò Canonici (quidam Codices addunt Ly Regulares) appellati estis, quòd Canonicas Regulas, Vos velle observare cæteris arctiùs devovistis.* Fuit & alter *Gualterus* Canonicus Insulensis, expost Magalonensis in Francia Episcopus, qui non minùs eleganter etiam de seipso annotavit: *Si Canonici vocamur, & Canonicam vitam professi sumus, Canones à Romana Ecclesia Matre Nostra, Nobis datos (à quibus etiam vocabulum sumpsimus) amplecti in omnibus, & imitari debemus.* Huc & illud dogma Werchneri Carthusiani Coloniensis spectat: *Canonicus id est Regularis. Undè qui non vult regi, aut dirigi, non est Canonicus.*

LVI. Ultra recensitos Abbates, non desunt alij Sancti Prælati, præsertim Canonicæ vitæ & disciplinæ, in diversis locis & temporibus Restauratores, quos idcircò non immeritò Proprium Canonicorum Regularium Lateranensium annuâ celebritate recolit, & in Annotationibus ad Officia, Canonicam eorum Professionem deducit. Tales erant *S. Gilbertus* & *S. Trudo*, quibus meritos honores non denegamus infra, *sub Schemate XI. S. Theotonius* cujus memoriam fecimus

supra *Num. XXXII. S. Gaucherius, S. Raymundus, S. Petrus* Piperacensis, qui æmulando cum primis, manufacta Monasteria instaurare nitebantur *vivis de lapidibus.* Alij Superiores, qui ad hanc Classem referuntur, infiniti erunt, scilicet Præpositi Infulati, & non Infulati, Rectores, Priores, Decani &c. & quorum computum facere qui vellet, *numerare stellas* contra posse, attentaret; ut ex ipsis Canoniis colligere licet, quarum acervum in Europa 4055. in Italia 700. idq; in principio nascentis Ecclesiæ numerat extitisse Raphael Volateranus lib. 21. suæ Antropologiæ, præter alias plerasq; quas absumpserat barbaries & inexplebile schisma ab Ecclesia; quarum occasum præsertim in Oriente, dolet Noster Pennotus part. 2. Cap. 41. in hæc verba: DEUS justus Judex, qui dedit cultoribus suis *regiones Gentium & labores populorum* in possessionem, *Ut custodiant justificationes ejus, & legem ejus requirant*, peccatis nostris exigentibus, *posuit terram in salsuginem à malitia inhabitantium in ea*: Ut ita Isaiæ Vaticinium impleret: *Pastores non requiescent ibi, sed requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi Ululæ in domibus ejus, & Syrenes in delubris voluptatis.*



IX.

IX.

SCHEMA

DOCTORUM



SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM

Ex Ordine CANONICORUM REGULARIUM Apostolico

Iuxta præcit. IOANNEM *de nigra* VALLE.

LVII. **S.** *Leo I.* Etruscus, de quo in Brev. Rom. *die 11. Aprilis* ex Canonico Regulari Summus Ecclesiæ Præsul & Præses, ut ostensum est *sub Schemate II. Num. 22. Vir in Divinis Scripturis eruditissimus,* ut notat Trithemius Abbas Lib. de Scriptoribus Ecclesiast. *& in declamandis homiliis ad populum adeò celebris & facundus, ut superiorem in Ecclesia Romana habuerit neminem. Fuit enim Ecclesiasticæ dictionis Tullius, Sac. Theologiæ Homerus, rationum fidei Aristoteles, authoritatis Apostolicæ Petrus, & in Christiano pulpito Paulus &c.* Scripsit *Epistolas ad diversos de rebus gravissimis nonaginta octo,* quæ habentur in primo volumine Conciliorum. Item *Concilium Nicænum.* Item *de Incarnatione Domini contra Eutychen. Sermones de Eleemosyna 5. De Jejunio 8. De Epiphania 8. De Nativitate Domini 10. De Passione Domini 14. De Transfiguratione 2. De Resurrectione Domini 21. De Ascensione 3. De Pentecoste 4. De Apostolis 3. De S. Laurentio 1. De Machabæis 1. De omnibus Sanctis 1. Quadragesimales 8. Insuper alios sermones de Jejunio 12. In anniversario Summi Pontificis 3.* Claruit circa annum 440.

S. Prosper Natione Aquitanus ex Raphaele Volaterano, Nicolao Crusenio, Joanne de nigra Valle citatis, *in Ecclesia Lateranensi,* (ut verbis Joannis Molani *cit. lib. 1. cap. 9.* utar) *Canonicus Regularis fuit, Leonemq́ I. in conscribendis Epistolis adjuvit; à quo propter vitæ sanctitatem, eruditionemq́ singularem, Regij in Flaminia* (Æmiliam alij volunt) *Episcopus est constitutus. Hunc* Gelasius *dùm ejus opuscula probaret, Virum religiosissimum appellavit.* Scripsit autem Prosper *de prædictionibus libros 3. De vita contemplativa libros 3. De Viris illustribus. De Romana captivitate librum 1. De Gratia & libero arbitrio librum 1. Contra opuscula Cassiani libros 3. In Poesi librum 1. Sententiarum ex D. Aug. excerptarum librum 1. Historiam à mundi exordio. Commentaria in Psalmos. Epigrammata. Epistolas ad diversos. Responsiones ad Capitula Gallorum. Objectiones Vincentianas & Genuensium &c.* Claruit circa annum 460.

S. Isidorus Hispalensis Episc. ex Gothorum stirpe progenitus, Filius fuit Severiani Ducis Carthaginensis, & Frater illius Magni Episcopi Hispalensis S. Leandri, *Vir in Divinis Scripturis eruditissimus.* Ut docet Joannes Trithemius Abbas Spanhemensis de Scriptoribus Ecclesiasticis *& in sæcularibus literis nulli suo tempore secundus, ingenio subtilis, sensu clarus, eloquio compositus, carmine excellens & prosa, non minùs sanctitate, quàm doctrinâ insignis &c.* De quo etiam illud non minùs mirandum ac memorandum annotavit Lucas Tudensis Episc. in vita ejusdem S. quod de sub Altari honori ejus consecrato frequentes manarent aquarum rivuli, per octo continuos dies, post mortem Alphonsi Arragoniæ Regis religiosissimi; quo portento perterritus populus, Dominum Cæli precabatur, quatenus sibi revelare dignaretur, quid per illud factum notificare vellet; qui tandem Divinâ revelatione responsum accepit, octo dies esse ex quo Alphonsus vitâ cessit, ideoq; in signum planctus Doctoris Hispaniarum Isidori, lapides pavimenti stillare aquarum profluvia, fortè ex eo, quòd sua Religio perdiderit munificentissimum Benefactorem, & singularissimum in necessitatibus Protectorem. prout tetigimus superiùs *sub Schemate III. Num. XXXII.* Constituit etiam iste

Sanctus, pro Regnis Hispaniarum Missam Gothicam, vel à Gothis tunc dominantibus illis Regionibus, sic dictam, vel quia ipse fuit ex Gothorum progenie; cujus usus ad hæc usq; tempora servatur inibi in aliquibus locis, ob gratiam miraculorum, quæ circa ejusmodi Missam evenerunt. Scripsit autem Isidorus *super Moysi Pentateuchon.* Item *Librum Decretorum. Historiam à principio mundi. Allegoriarum libros 3. De summo Bono libros 3. De Natura Deorum librum unum. De viris illustribus librum unum. De Officiis librum unum. De differentiis librum unum. De Astronomia librum unum. De Vocabulis Grammaticis librum unum. Cosmographiæ librum unum.* Obijt anno 636. Idem Joannes de nigra Valle, & ibidem, meminit alterius *S. Isidori* Patriarchæ Constantinopolitani, prout repræsentat *Schema V.*

LVIII. *Richardus* de S. Victore Paduanus Patriâ, sub Anastasio IV. circa annum 1150. Monachus S. Victoris Parisiensis, Ordinis Canonicorum Regularium S. Aug. factus est, non solùm juxta principalem Operis Nostri Authorem Joannem de nigra Valle, sed etiam juxta Ioannem Trithemium citatum sub *Num. LI.* Raphaelem Volateranum, Nicolaum Crusenium, Ioannem Molanum *Lib. 1. de Canonicis Capite 23.* Ioannem Trullum, qui sic ait; Lib. 1. de Ordine Canonicorum Regularium Capite 5. *Vir in Divinis Scripturis eruditissimus fuit, & in sæculari Philosophia nobiliter doctus, ingenio præstans, eloquio scholasticus, moribus & conversatione præcipuus.* Hunc miris laudibus effert S. Antonin. Flor. *3. part. tit. 18. Cap. 3.* eo præsertim, quòd 7ptem. libros de Trinitate conscripserit, quibus (judicio suo) cunctos, qui ante ipsum de hac materia Tractatus multiplices ediderunt, probabili rationum inductione, simul & dulcedine quadam ac vetustate sermonis, excessit. Item scripsit *de potestate ligandi atq; solvendi. De spiritu blasphemiæ. De statu interioris hominis. De exterminio mali. De Templo Salomonis. De Templo Ezechielis. De Tabernaculo Fœderis. De pœna peccati mortalis & venialis. De verbis Apostoli. De verbis Isaiæ. De Actibus Apostolorum. De Potestate Iudiciaria. De 12. Patriarchis. De profectu Monachorum. De instructione Novitiorum. De 42. mansionibus. De 4tuor ventis. Epitome Bibliorum. Expositionem super Cantica, et super Danielem libros 3. et in Apocalypsim. Sermones diversos et multa alia.*

S. Gelasius I. Papa, hîc quâ Doctor inseritur, licet alioqui ob præclara merita inter Pontifices Romanos recensitus fuerit *sub Num XXIII.* Scripsit testibus Anastasio, & Gennadio Massiliensi *contra Nestorium et Eutychetem libros 5.* quos perijsse Viri comprimis docti, & inter illos Cardinales Baronius & Bellarminus, suspicantur. Item *contra Arrium duos. Contra Pelagianos unum. De vinculo anathematis unum. Orationes habuit elegantes et graves. Epistolas ad amicos et fidei domesticos,* non minùs graves, quàm doctas contexuit; quæ habentur in 2do volumine Conciliorum, & Hymnos ad imitationem S. Ambrosij composuit. Ita S. Antonin. Flor. *part. 2. hist. tit. 11. Cap. 1. §. 7.* Platina *in Gelasio 1.* & Ioann. Trithem. cit.

LIX. Similis honor debetur *Innocentio III.* qui cùm multæ pietatis & doctrinæ, nec minoris prudentiæ ac providentiæ in Ecclesia Dei fuisset

fuisset, digna tanto Pontifice encomia inter Summos Pontifices obtinuit *sub Num. XXVII.* Quia verò multa egregia sublimis sapientiæ suæ monumenta reliquit, inter Doctores à plerisq; celebratur. Hujus autem Pontificis opera in duos Tomos collecta sunt. *In 1. Tomo extant sermones de Tempore & Sanctis.* Item *de consecratione Summi Pontificis sermones 4tuor.* Item *Conciones Parænetica ad Concilium Lateranense, & Acta ejusdem Concilij.* Item *de miseria conditionis humanæ. De eleemosyna liber unus. De laude charitatis unus. De contemptu mundi libri tres. Precationum de Christi Passione libri tres. De Musica unus. De Baptismi Sacramento unus. In 7ptem Psalmos Pœnitentiales unus. Encomia Christi & Divæ Matris ejus; nec non Hymni de eisdem. In 2do Tomo Epistolarum libri duo. Constitutionum Decretalium libri sq.*

Hugo de Folietto Vir literaturæ admodùm insignis, fuit Canonicus Regularis S. Petri Cordubensis, ut vult Vincentius Belvacensis *in spec. historial. lib. 28. Cap. 18.* S. Antonin. *in 3. part. hist. Tit. 18. Cap. 2.* & part. 2. *Cap. 16. §. 7. ad fin.* Joannes de nigra Valle, Raphael Volat. citati. At verò Joannes Trithemius eum Monachum Corbejensem, Ordinis S. Benedicti asserit, *cujus opinione neglecta,* ut ait Joannes Trullus Lib. 1. Cap. 5. de Vir. Illustr. Canonicor. Reg. *major fides citatis Authoribus, aliisq; Viris adhibenda est; consuevit enim Trithemius nonnullos præclaros Canonicos Regulares, Ordini Benedictinen. adscribere, ut de S. Petro Damiano inferiùs dicturi sumus, ea fortè occasione quòd Nomen Monachi, ob vitam communem & trium votorum professionem, à Canonicis emissam, ipsis Canonicis quandoq; tribuitur.* Hunc *Hugonem* Onuphr. *in Eugenio 3.* dicit creatum Cardinalem ab eodem Papa, Ciaconus verò ab Innocentio II. Claruit hìc Doctor temporibus Henrici IV. circa annum 1120. Scripsit autem *de Claustro Animæ Libros 4tuor. De Disciplina Monachorum Librum unum. De 12. abusionibus Claustri, librum unum. De 12. Patriarchis librum unum.*

LX. *S. Petrus Damiani* ex Canonico Reg. juxta dicta *sub Num. LIII. in S. Aldobrando,* Joannem de nigra Valle, Raphael. Volater. Onuphr. citatos, & Joannem Molanum *Lib. 1. de Canonicis Cap. 23.* S. R. E. Cardinalis Episcopus Ostiensis, Vir Sanctus, ut dicit Noster Augustinus Ticinen. *part. 4. Cap. 23.* & clara ex Familia de Honestis Ravennæ natus, apud Auelane eremiticam vitam duxit. Qui deinde tempore Schismatis inter Carolum Episcopum Parmensem & Alexandrum II. pileo à se spontè abdicato, ad Canonicam præfatam (Ravennæ) se transtulit, ubi post multa præclara librorum edita opuscula, & magnificè gesta, ejusdem loci Prior, sanctè pieq; in Domino quievit. Extant usq; ad præsens Constitutiones ab eo editæ, de communi vita Canonicorum Regularium, Paschalis II. authoritate confirmatæ. Cùm autem à Summo Pontifice ut addit Noster Joannes Trullus citatus Cap. 5. argueretur, quòd Episcopatum utpotè Vir utilis & idoneus, dimisisset, amore salutis privatæ, ad tres sibi succedentes Nicolaum II. Alexandrum II. Gregorium VII. Romanos Pontifices, apologeticos edidit, in quibus authoritate, ratione, & exemplo, factum suum excusans, animos eorum placavit. Scripsit *pro diversis festivitatibus*

tibus sermones multos. Item *de fuga mundi.* Item ut addit Trithemius *de incontinentia Sacerdotum. De regula solitariorum. De miraculis sui temporis. De Naturis quorundam animalium. De terrore & meditatione mortis. De profectu Monachorum. Exhortatorium ad Monachos. Contra Episcopos Simoniacos &c.*

Magister *D. Iacobus* de Vitriaco ex Oppido Argontolio Diœcesis Parisiensis, Canonicus Regularis de Ognies, primò Episcopus Aconensis in Palæstina, postea Cardinalis Episcopus Tusculanus, creatus à Gregorio IX. juxta Onuphr. & Ciacon. *in Gregorio 9.* Raph. Volater. & JOANNEM de nigra VALLE citatos, Ioannem Trullum Lib. 1. de Ordine Canicorum Regularium Cap. 5. qui sic ait: *Vir in Divinis literis eruditus, et sæcularium literarum non ignarus, moribus et vita spectabilis, in declamandis sermonibus ad populum excellentis ingenij fuit, et Crucem contra Albigenses hæreticos gloriosè prædicans, multos fideles Apostolica authoritate signavit, profecit et legatus contra eos.* Edidit non spernendæ lectionis opuscula, videlicet: *Historiam Orientalem contra Saracenos. Epistolas ad diversos.* Claruit sub Federico Imperatore II. circa annum 1220. Hujus autem Prælati pro regulari observantia notatur zelus exinde, dum Cap. 30. histor. Occidentalis ait: *Multi autem temporibus istis reperiuntur, Canonici vero nomine sæculares, qui cùm regulariter non vivant, falsò sibi Canonici Nomen usurpant, umbram Nominis retinentes, virtutem autem ejus abnegantes; sicut enim homo pictus non est homo, et denarius falsus non est denarius, ita qui hujusmodi sunt Canonici sæculares, non sunt Canonici. Quo enim pacto Canonici id est regulares censentur, quorum Regula est irregulariter vivere, quorum lex est sine lege moveri, propriæ voluntati absq; ulla contradictione passim fræna laxare:* Similem zelum expressit immediatè dict⁹ Cardinalis Petr⁹ Damiani; Lib. 5. Epist. 9. ad Clericos Fanenses scribens: *Sanè quo pacto quis valeat dici Canonicus, nisi sit Regularis? quomodo Monachus, nisi juxta vim sui Nominis sit etiam singularis? volunt siquidem Canonicum id est regulare Nomen habere, sed non regulariter vivere; ambiunt communia Ecclesiæ bona dividere, aspernantur autem ea apud Ecclesiam communiter habere. Enimverò non est hæc primitivæ Ecclesiæ forma, satisq; exorbitat ab Apostolicæ institutionis disciplina.*

LXI. Non desunt & alij & quidem multò plures ex antiquioribus, Ecclesiastici Scriptores & Doctores, apud eundem JOANNEM de nigra VALLE, & sunt sequentes: *S. Quadratus* Atheniensis Episcopus Apostolorum discipulus, edidit librum egregium de Fide Catholica contra Paganos.

S. Papias Herbipoli in Phrygia Episcopus, S. Ioannis Senioris Auditor, S. Polycarpi discipulus & sodalis fuit. Cùm autem esset in omni genere scientiarum versatissimus scripsit, *libros 5q. explanando vitam Christi & alia nonnulla.* Qui tandem sanctitate celebris optimo fine quievit, circa annum 118. Ex Martyrolog. Rom. *die 22. Februarij.* Euseb. *libr. 3. Cap. 33.* Baron. *tom. 2. sub anno 118.*

Iustinus Palæstinus scripsit *contra Gentiles volumen magnum. De Monarchia Dei, librum unum. De Psalterio unum. Contra Tryphonem Iudæum, librum unum. contra Martionem & omnes Hæreses, libros plures.*

S. Mi-

S. Miletus *Episcopus Sardiensis, scripsit de prophetia Christi, librum unum: de vita Prophetarum librum unum: de Paschate libros tres: de Generatione Christi unum: de Ecclesia universali unum: de Baptismate unum: de Veritate unum: de Apocalipsi unum: de diabolo unum. Eglogarum libros sex.*

S. Theophilus *Patriarcha Antiochensis, scripsit contra Martionem Hæreticum librum unum. contra Hæresim Hermogenis librum unum: contra Hetolum libros tres: super quatuor Evangelia Commentum: & super Proverbia Salomonis.*

S. Dionysius *Episcopus, scripsit Epistolarum volumen pulchrum, ad Lacedæmonas, ad Athenienses, ad Nicomedienses, ad Cretenses, ad Ecclesias Ponticas et ad Romanos.*

S. Philippus *Episcopus Cretensis, scripsit adversus Martionem Hæreticum librum unum.*

S. Serapion *Patriarcha Antiochenus, scripsit volumen Epistolarum egregium.*

S. Petrus *Canonicus Emisensis, scripsit libros plures de varijs causis, & Psalmorum librum metro composuit.*

Philon *Alexandrinus: ex Iudæo Canonicus, scripsit de adventu Christi librum unum. Item supra Sapientiæ librum confecit Commentum.*

S. Theophilus *Cæsareæ Palestinæ Episcopus, scripsit librum unum de Paschate.*

Clemens *Alexandrinus Presbyter Cardinalis, scripsit libros octo de Stromatibus. adversus gentes librum unum: de jejunio librum unum: de disputatione librum unum: de obtrectatione librum unum: de Canonicis Ecclesiis librum unum: adversus Iudæorum errores librum unum: Epistolarum volumen egregium: de Pædagogis libros tres: de difficili divitum salute librum unum.*

S. Ireneus *Episcopus Lugdunensis, scripsit adversus Hæreses libros quinque: contra gentes librum unum: de disciplina Christi & prædicatione Apostolorum librum unum de Monarchia librum unum: de quæstionibus Paschæ ad Victorem Papam librum unum.*

S. Dionysius *Alexandrinus Patriarcha, scripsit Epistolarum volumen egregium: adversus Nepotem Episcopum libros duos: ad Origenem de Martyrio librum unum: ad Dionysium de Ordine delictorum libros quatuordecem.*

LXII. S. Cyprianus *Episcopus Carthaginensis, scripsit de duodecem abusionibus sæculi librum unum: de peste Ægypti unum: de bono patientiæ librum unum: de Ordine Dominico librum unum: de opere & Eleemosynis librum unum: de Zelo & Livore librum unum: de aleatoribus librum unum: ad Fortunatum de Sacramentis librum unum ad Demetrium librum unum: ad Antonianum & Quirinum librum unum: ad Iulianum amicum suum librum unum: ad Cæcilium librum unum: ad Donatum de gratia Dei librum unum: de lapsis librum unum: de unitate Ecclesiæ librum unum: Epistolarum volumen egregium.*

Pontianus *Carthaginensis Episcopus, scripsit de vita & moribus Cypriani Episcopi Carthaginensis volumen egregium.*

S. Anatholius *Laodicensis Episcopus, scripsit de Paschate librum unum: de Mathematicis libros decem: super vetus & novum Testamentum, commentum: contra Manichæorum Hæresim librum unum.*

Marcion *Antiochenus Prebyter Cardinalis, scripsit contra Paulum Episcopum Samoaensem Hæreticum, Dialogos perutiles. Tractatum de Symbolo et Synodo ad Dyonisium Papam.*

S. Victorinus *Episcopus Pictaviensis, scripsit super Genesim librum unum: super Exodum librum unum, super Leviticum librum unum, super Esaiam librum unum, super Ezechielem librum unum, super Habacuc librum unum, super Ecclesiastem librum unum, super Cantica Canticorum sermones centum viginti, super Apocalipsim librum unum.*

S. Methodius *Archiepiscopus Olimperiade, scripsit dum esset in carcere apud Nigropontem, libros quindecem de creatione, eidem per Divinam inspirationem in carcere ostensos.*

S. Pamphilius *Græcus, Presbyter Cardinalis, scripsit in defensionem religionis Origenis, libros tres: de Trinitate libros decem, de Christi adventu libros duos, de Fide Catholica libros quinque.*

S. Jacobus *cognomento* Sapiens *Nisibonensis Episcopus, scripsit de fide contra hæreses librum unum: de charitate generali librum unum, de jejunio librum unum, de sensu animæ librum unum, de oratione librum unum, de dilectione proximi librum unum, de resurrectione mortuorum librum unum, de vita post mortem librum unum, de pœnitentia librum unum, de humilitate librum unum, de satisfactione librum unum, de virginitate librum unum, de Circumcisione librum unum, de azimo librum unum, de benedictione librum unum, de castitate librum unum, de constructione tabernaculi librum unum, de gentium conversione librum unum, de regno Persarum librum unum, de persecutione Christianorum librum unum.*

S. Lucianus *Nicomediensis Presbyter Cardinalis, scripsit de sacrarum literarum studio, librum unum: de fide libros duodecim. Epistolarum volumen egregium.*

S. Juvencus *Hispanus Presbyter Cardinalis primus, & Poeta egregius, scripsit quatuor Evangelia metro eleganti,* Item *librum de Sacramentis perpulchrum eodem metro heroico.*

S. Hilarius *Pictaviensis Episcopus, scripsit de Trinitate libros duodecim: de Synodo librum unum. Historiam à principio mundi usq; ad Christum: adversus Arianos libros plures; de blasphemia Auxontiæ librum unum. Hymnos Ecclesiasticos plures.*

S. Eustachius *Episcopus Birichiensis, scripsit adversus Arianos libros quinque: de anima adversus Origenem Epistolas.*

S. Didymus *Alexandrinus Canonicus, scripsit contra Arianos libros duos: de Spiritu Sancto librum unum: super Esaiam libros decem & novem, super Oseam libros tres, super Zachariam libros quinque, super Psalmos, super Iob commentarios dignissimos, super Evangelia Matthæi & Ioannis: in Dialectica librum unum: in libros Scripturarum libros plures.*

LXIII. S. Athanasius *Patriarcha Alexandrinus, scripsit de Trinitate libros duodecē: de Synodo librum unum: adversus gentes libros duos, contra Valentem & Vrsatium librum unum: de exhortatione Monachorum: de persecutione Arianorum libros plures: & Symbolum: Quicunq; vult salvus esse &c.*

Eusebius *alius, Episcopus Emissenus, scripsit contra Iudæos libros decem: adversus gentes libros octo: super Evangelia Homilias: super Epistolam Pauli ad Galatas libros decem.*

Trisilius *Episcopus Cypri, scripsit super Cantica commentarios.*

Serapion *Canonicus Scholasticus, scripsit adversus Manichæum librum unum: de titulis Psalmorum plures tractatus.*

S. Eusebius *tertius Episcopus Vercellensis, scripsit super Psalterium Eusebij Cæsariensis, quod ex Græco in Latinum traduxerat.*

S. Epi-

S. Epiphanius Episcopus Salaminensis, scripsit adversus omnes hæreses libros decem: & Sermones diversarum solennitatum plures.

S. Optatus Millevitanus Episcopus, scripsit adversus Donatistas libros sex.

Philippus Syrus Presbyter Cardinalis, scripsit super Iob commentarios; & Epistolarum volumen egregium.

S. Joannes Chrisostomus Patriarcha Constantinopolitanus, scripsit super Matthæum libros duos: super Ioannem Homilias Septuaginta octo: super librum Machabæorum librum unum: de compunctione unum: de reparatione lapsi unum: de militia spirituali unum: de dignitate sacerdotali libros sex: de eo quod nemo læditur nisi a seipso, unum: de laudibus Pauli, Homilias sex: Sermones de Sanctis plures: Epistolarum volumen insigne, & alia propemodùm infinita, quæ haberi non potuerunt.

S. Paulinus Nolanus Episcopus, scripsit ad Cæsum de morte, libellum consolatorium: ad Theodosium juniorem Panegyricum: ad Sororem de Sacramentis librum unum: de laudibus Martyrum unum: Epistolarum metro, & prosa librum dignissimum. De Pœnitentia librum unum.

Deoporius Africanus Canonicus, scripsit de emendatione lapsi, librum unum.

Fastidius Archiepiscopus Cantuariensis, scripsit de vita Christi librum unum: de viduitate servanda unum: de Paradiso unum.

LXIV. S. Augustinus Episcopus Hipponensis & Reformator Clericorum sive Canonicorum, cui ad præsens pro maximo, quo dignus ex filiali affectu, encomio, ad minus Tabellam affigere cum sequentia Missæ justissimum arbitror:

Clericalis Vitæ formam
Conquadravit, juxta normam
Cætus Apostolici.
Sui quippe nil habebant,
Tanquam suum, sed vivebant,
In communi Clerici.

Scripsit de Trinitate libros quindecim, de Civitate Dei libros viginti duos, Confessionum libros tredecim, de gratia & libero arbitrio librum unum, de prædestinatione unum: de beata vita unum: Soliloquiorum unum: Manuale unum: de natura boni unum: de spiritu & anima unum: de natura et gratia unum: de Dialectica unum: de quæstionibus diluvij unum: de vera innocentia unum: de Magistro ad Deodatum unum: de Musica libros septem: de natura et origine animæ libros quatuor: de concordia Evangeliorum libros quatuor: de Sermone Dei in monte librum unum: de quatuor ferijs unum: de collatione præceptorum unum: de nonaginta Hæresibus unum: de Cantico novo unum: de contritione et gratia unum: de duabus animabus unum: de quantitate animæ unum: de vera religione unum: de quatuor virtutibus Cardinalibus unum: de peccato originali unum: de divina prædestinatione unum: de patientia libros duos: de pœnitentia unum: de immortalitate animæ unum: de præscientia Dei libros duos: de natura rerum unum: Enchiridion unum: de videndo Deo unum: de vita Christiana unum: de agone Christiano unum: de fide ad Petrum libros tres: de fide rerum invisibilium unum: de fide & operibus unum: de fide in Symbolo unum: de utilitate credendi unum: de Corpore Christi unum: de eleemosyna unum: de pastoribus unum: de ovibus unum:

de gratia novi Testamenti unum: de eo quòd scriptum est, Qui totam legem servaverit, librum unum: super Genesim libros duodecim: super novum & vetus Testamentum unum: de mirabilibus Sacræ Scripturæ: de decem chordis unum: de cura habenda pro mortuis unum: de mendacio unum: contra mendacium unum: de conflictu vitiorum unum: de duodecim gradibus abusionum unum: de divinatione Dæmonum librum unum: de Cathechismo unum: de communi vita Clericorum sermones tres: & alia innumerabilia, quæ brevitatis causâ omittimus.

Eutropius Hipponensis Canonicus, scripsit Romanam Historiam ab urbe condita: de pudicitia & religionis amore libros duos.

Horosius Hispanus Canonicus, scripsit adversùs gentes libros septem. Item Chronicam ab exordio mundi.

Sylvanus Marsiliensis Presbyter Cardinalis, scripsit de virginitatis bono libros tres: de avaritia libros quatuor: de præsenti judicio libros sex: Epistolarum volumen pernobile: super Genesim librum unum: Homilias quàm plures.

S. Maximus Episcopus Tarsensis, scripsit de laudibus Apostolorum librum unum: de S. Ioanne Baptista unum: de laudibus Cypriani Episcopi unum: de Eusebio Vercellensi Episcopo unum: de Baptismi gratia unum: de avaritia & hospitalitate unum: de Eleemosynis unum: de lunæ defectu unum: de jejunio unum: de Passione Christi unum: de Iuda proditore unum: de Cruce Domini unum: de sepulchro ejusdem unum: de accusatione Domini ad Pilatum unum: de resurrectione Domini unum: de gratiis post cibum agendis unum: de Ninivitarum pœnitentia unum: Sermones & Homilias plurimas.

LXV. S. Nitiscus Marsiliensis Presbyter Cardinalis, scripsit de Sacramentis librum unum. Item Homilias multas. Item ex Sacris Scripturis Lectiones totius anni, Festivis ac Dominicis diebus aptas, in divino Officio ordinavit. Et Responsoria, Psalmos, Epistolas, & versiculos coaptavit, quod à Romanis Pontificibus fuit approbatum.

Theodorus Syrus Presbyter Cardinalis, scripsit de concordantia novi ac veteris Testamenti, librum unum.

S. Fulgentius Episcopus Ruspensis, scripsit de remissione peccatorum libros tres: de fide ad Donatum librum unum: de mysterio mediatoris libros duos: contra Torsimundum Regem Arianum, librum unum: de continentia Conjugatorum servanda, unum: de Oratione unum: de charitate habenda unum: de pœnitentia & indulgentia unum: Sermones quàm plures in diversis Festivitatibus.

Genadius Episcopus Marsiliensis, scripsit de dogmatibus Christianis: de Viris illustribus librum unum, & multa ex Græco in Latinum transtulit.

Arator Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis & Poeta, scripsit Apostolorum Actus Versu Hexametro.

S. Theodorus Archiepiscopus Cantuariensis, scripsit librum unum, quòd pœnitentiâ unumquodq; peccatum dilui debeat: & Commentum super novum ac vetus Testamentum.

Alcunus Gallus Canonicus & Abbas Turonensis, Fundator studij Parisiensis, scripsit de Trinitate libros sex: de Trinitate quæstiones multas: Speculum parvulorum: de ratione animæ librum unum: de Ecclesiasticis dogmatibus unum: Sententiarum unum: super Ecclesiasten unum: Dialogorum unum: super Genesim unum: super Cantica unum: super Ioannem unum: super Epistolas Pauli unum

unum: de proprietatibus nominum Dei convenientium unum. Epistolas plures.

Joannes Scotus *antiquus Canonicus, scripsit de naturæ divisione librum unum: de Eucharistia unum: & Dionysium Hierarchianum ex Græco transtulit in Latinum.*

Anastasius *Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius Cardinalis, descripsit septimam Synodum universalem.* Item *Catalogum Sanctorum egregium.*

S. Aimo *Canonicus Cantuariensis, scripsit Sermones elegantes de Christi nativitate. De Sanctis summam copiosam. De vitiis & virtutibus.*

LXVI. Petrus *Lombardus ex Canonica Sanctæ Genovefæ Episcopus Parisiensis, scripsit quatuor sententiarum libros: glossavit totum Psalterium: scripsit super Epistolas:* Item *Sermones insignes edidit.*

Petrus *Commestor Canonicus S. Petri Dulensis, scripsit super novum & vetus Testamentum libros plurimos:* Item *Carmina in laudem Beatæ V. MARIÆ elegantissima.*

S. Joannes *Carnotensis Episcopus, scripsit de Curialibus & Philosophorum nugis librum unum.*

Prudentianus *Canonicus Terraconensis Poeta, scripsit de Martyribus librum unum: Hymnorum unum: de Origine peccatorum unum: super vetus & novum Testamentum: de Trinitate libros duos: de contemptu Idolorum unum.*

S. Fulbertus *Carnotensis Episcopus, scripsit Sermones ad laudem Beatæ Virginis MARIÆ, & de Christi Incarnatione.*

S. Severianus *Episcopus Gabalitensis, scripsit super Epistolam Pauli ad Galatas: de Epiphania & Baptismo librum unum.* Item *Sermones quàm plures.*

S. Pierius *Alexandrinus Canonicus scripsit super Isaiam & Oseam Prophetas.*

S. Petrus *Episcopus Ravenas, scripsit super Evangelia Homilias plures: contra Euticen librum unum: & Sermones de Sanctis elegantes.*

S. Severus *cognomento* Sulpitius *Canonicus Aquitanus, scripsit Epistolarum volumen: de contemptu mundi: Chronicam magnam: Vitam Sancti Martini Turonensis Episcopi in tres Dialogos.*

Innocentius IV. *Papa, scripsit apparatum super Decretalibus.* Item *autenticum de jurisdictione imperij & auctoritate Pontificis: de laude S. Augustini Doctoris librum unum.*

Bernardus *Compostelinus Canonicus, dicti Innocentij Capellanus, scripsit super primo, secundo, & tertio Decretalium.* Item *rationale divinorum Officiorum.*

Guido *Bononiensis ex Canonica S. Victoris, Archidiaconus S. Petri Bononiensis, scripsit super totum librum Decretorum.* Item *super sexum Decretalium.*

Ugutio *de Rapho Canonicus S. Quintini, scripsit super Decretorum librum.*

Lappus *de Castelliano Abbas Canonicæ Sancti Rosati, scripsit decisiones perpulchras.*

Ioannes *Teutonicus, Canonicus Sancti Salvani, scripsit glossas super librum Decretorum.*

Henricus *ex Canonica S. Petri Lugdunensis, Cardinalis & Episcopus Hostiensis, scripsit super Decretalium libros quinque.* Item *in Iure Canonico summam perutilem.*

Ivo *Episcopus Carnotensis, compilator antiquorum Decretorum, quæ postmodùm Gratianus Monachus abbreviavit.*

 LXVII.

LXVII. Ultra enumeratos à præcitato Joanne de nigra Valle ex Ordine Canonicorum Reg. Doctores, ingentem Recentiorum multitudinem coacervat sæpefatus Pennotus hist. trip. lib. 3. Cap. 55. ad quem Lectorem remitto. Non puto tamē omnes collegisse, cùm plerūq; solos canonizaverit Italos, aliorum in alijs mundi partibus forsan non habens notitiam, quorum libri plurima eaq; diversissima eruditione refertissimi, usq; ad præsens manibus legentiūm teruntur. Ut: *Thomæ* à Kempis Christiano Orbi clarissimi, Joannis *Mauburni* Abbatis, spiritu operum suorum ferventissimi. Joannis *Rusbrochij* de quo infra *sub Schemate XI.* Martini Azpiculeta *Navarri* Canonistæ celeberrimi. Ioannis *Buschij*. Rutgeri *Venray* Teutonici, ut alios quàm plurimos prætercam, quos videre est apud Ioannem Trullum lib. 1. de Ord. Canonicorum Reg. Cap. 6. Prætermitto alterius Classis re & nomine Doctores, quia Verbi D. Præcones, vocibus & Scriptis per Universum, Clarissimos; quos luculenter satis quanquam brevi laconismo *Paniga-rola* Minorita panegyrizat: *Feracissimus insignium Concionatorum ager Lateranensis Congregatio.* Hoc unum præterire nefas videtur, quod simile miraculo annotavit Noster Pennotus Abbas, de quadam Ordinis Nostri Canonissa ac Theologa *Baptista Vernacia*, de qua lib. 3. Cap. 49. ad fin. sic ait: *In Civitate Ianuensi sunt tria primæ Nobilitatis* (Monialium de quib' illic sermo) *Collegia; Primum S. Mariæ Gratiarum, cujus Alumna extitit D. Baptista Vernacia Virgo devotissima & doctissima, quæ Mysticam Theologiam ut experimento probatum est, oratione non studio didicit. Nam fœmina cùm esset de Divinis Arcanis tam multa scivit, ut doctissimos quosq; Theologos adæquasse visa fuerit.* Et infra Cap. 55. §. 2. enumerat illius Opera in tres Tomos distincta dicens: *Primus Tomus 4tuor continet Tractatus: Primus est de Unione Animæ cum Deo. 2dus de cognitione Dei. 3tius de gaudiis cælestibus. 4tus appendix de modo ipsa gaudia assequendi. Secundus Tomus sex continet Tractatus. Primus est de Oratione. 2dus de Canticis Spiritualibus. 3tius de gaudio & planctu spirituali. 4tus de osculo Divino. 5tus de mirabili vita eorum qui mundo mortui sunt. 6tus de perpetua unione cum Deo. Tertius Tomus continet Tractatus 4tuor. Primus est variarum contemplationum Pars 1. 2dus. variarum contemplationum Pars 2. 3tius. de vita spirituali. 4tus. est 46. dubiorum cum illorum solutionibus. Hi tres Tomi editi sunt Venetiis anno 1566. curante R.P.D. Gaspare Placentino. Postea editus est 4tus Tomus Veronæ anno 1602. post obitum prædictæ D. Baptistæ, curante R.P.D. Dionysio Placentino, Fesulano Abbate in quo alia varia ejusdem Opuscula spiritualia cum vita sua impressa sunt. Obijt anno 1587. Sabbato post Dominicam Ascensionis. Nonagenaria.*



X.

X.

SCHEMA

MARTYRUM

NON

PONTIFICUM

Ex Ordine CANONICORUM REGULARIUM Apostolico

Iuxta præcit. IOANNEM *de nigra* VALLE.

LXVIII. PAucissimos equidem principalis hujus Operis Author Joannes de nigra Valle, Sanctos Martyres enumerat, respective ad, quos signat genericè, nimirum 11600. nihilominus facile vel ex eo evincit assertæ veritati assensum, *quòd in Anglia in Metropoli Cantuariensi, irruentibus illuc barbaris, decem Millia ejusdem Professionis Viros (quorum festivitas agitur in Calendis Maij) qui ad Generale Capitulum venerant, in ArchiEpiscopali Ecclesia S. Salvatoris pro Christi fide Martyrio ab ijsdem paganis coronatos esse* commemorat. Præterea *S. Satyrum & Arbagastum* cum alijs centum Canonicis pro fide Catholica interfectos ibidem insinuat. Insuper S. Archimimum, S. Adrianum & Gladentium cum alijs trecentis sub Geiserico VVandalorum Rege ob Arianæ pravitatis detestationem, passos fuisse scribit, & constat *ex Annotat. in Proprium Canonicorum Regularium die 28. 9bris.* Demum recrudescente persecutione in Africa, sub *Hunnerico VVandalorum Rege, Arianæ hæresis veneno infecto, Orthodoxæ fidei sectatores* varijs supplicijs divexati sunt, inter quos viginti duos Episcopos ex eodem Ordine Apostolico martyrizatos, notat idem Joannes de nigra Valle cit. Quid censendum de aliorum Canonicorum Regularium Sancta plebe? Ultimò non desunt plurimi ex Sanctis Canonicis Regularibus ad comprobandum numerum signatorum, qui diversis temporibus, singillatim passi sunt, ex amore veritatis Christianæ, ut *Rumoldus*, de quo aliquid *sub Schemate III. Num. XXX.* insinuavimus. *Ioannes* Ostervicanus, *Petrus* de Arbuez Inquisitor Provincialis in Regno Aragoniæ, & alij plures, prout constat ex Proprio Canonicor. Reg. Later. & Annotationibus super illud. Ex quibus omnibus unius *S. Aquilini* adducam in præsenti, à Monachali Professione vindicias, quæ habentur in allegatis modo primum Annotationibus *sub die 29. Ianuarij*, & hoc fieri decrevi, tum ex affectu peculiari in Tutelarem meum, tum ex fine demonstrandi plurima Monasteria fuisse Canonicorum Regularium, non Monachorum, in quibus *S. Aquilinus, Herculanus, Ludgerus, Gregorius, Marcellinus, Odulphus,* & alij Sancti Canonici, Institutum Regulare coluerunt.

LXVIX. Hic igitur S. Martyr *Aquilinus* acerrimus Propugnator honoris „ Mariani, & devotissimus cultor, fuit Canonicus Coloniensis Ecclesiæ, „ prout vetustissimæ Tabulæ Mediolanensis Ecclesiæ, Breviarium Ambrosianum, & Scriptores quotquot de illo agunt, uniformiter attestantur: Iam autem Ecclesiam Coloniensem fuisse à prima fundatione Regularem, vetusti quiq; Authores scribunt, probatq; datâ operâ Ioannes Mauburnus Abbas Liuriacensis *lib. 2.* quem *Venatorium* inscribit *Cap. 30.* tum ex Historia S. Lamiberti Coloniensis Episcopi, quæ in ea Ecclesia in Divinis Officijs olim legi consueverat, in qua hæc inter alia continentur: *Exultent cultores Ecclesiæ Coloniensis, qui Canonica ejus Institutione renitent.* tum ex alijs compluribus authenticis documentis, quibus adstipulatur Ioannes Molanus *lib. 1. de Canonicis Cap. 14.* affirmans Institutum vitæ Regularis in eadem Ecclesia, usq; ad Philippum I. hujus Nominis, & in Ordine 44. Episco-

sco-

„ scopum Colonien. id est, usq; ad annum Christi 1168. permansisse.
„ Nec obest in contra Molanus putans Canonicos Colonienses
„ prout & Trajectenses, & Leodienses, cæterosq; illis temporibus in
„ Cathedralibus degentes non fuisse Regulares, cum votorum emissi-
„ one, adeoq; diversi erant à modernis Canonicis Regularibus; quod
„ etiam de Clericis cum B. Augustino communiter viventibus, con-
„ tra sensum omnium, asseverare non erubescit Erasmus in censura ad
„ Regulam ejusdem S. Doctoris. Verùm istam Molani sententiam
„ pace tanti Doctoris, & de Ecclesia Catholica optimè meriti, minùs
„ veram esse, multa sunt, quæ evidentissimè convincunt. Et primò
„ quidem certum est, Canonicos Colonienses ejusdem omnino In-
„ stituti fuisse, cujus erant Trajectenses, Wirdunenses, Nemetenses,
„ Spirenses, & alij Cathedrales, præsertim Ecclesiarum Germaniæ infe-
„ rioris, ac etiam superioris, eodem Molano assentiente dicto lib. 1.
„ pluribus in locis, sed præcipuè cap. 14. ubi refert Canonicos Traje-
„ ctenses, cùm sub Episcopo Godebaldo prima præbenda Decano
„ majoris Ecclesiæ dari cæpisset, statim ad Colonienses scripsisse, ut
„ consulerent, an salva regula vitæ communis, quam profitebantur,
„ id licitè fieri posset. Quibus Colonienses in hunc modum respon-
„ derunt. *Dominis, ac Fratribus Sanctæ Ecclesiæ Trajectensis tam majoribus, quàm
„ minoribus salutem. Ut Præpositura, Decania, vel aliqua claustralis obedi-
„ entia, pro beneficio habeatur, vel beneficium nominetur, Ecclesiæ nostræ consue-
„ tudo non patitur.* Quod responsum supponit, idem fuisse utriusque
„ Ecclesiæ Institutum, & eandem vivendi Regulam. Jam verò Ec-
„ clesiam Trajectens nedum nomine, verum etiam professione fuis-
„ se propriè Regularem cum votorum emissione, monstrat primò
„ ipsum Nomen Canonicorum Cœnobitalium, quo Nomine vocan-
„ tur à S. Marcellino, qui fuit unus ex ipsis Canonicis Trajectensibus,
„ in vita S. Suiberti, tum in proemio, tum infra Cap. 13. Item No-
„ men Conventus & Monasterij, quo vocabatur illorum Domus,
„ ibidem Cap. 6. & 26. & ab ipsomet Molano in Natalibus ad diem
„ 5. Junij in Athalerico I. Item Nomen Monachorum, quo voca-
„ bantur ijdem Canonici Trajectenses, in privilegio illis facto per
„ Pipinum Regem, quod refert Miræus de Collegijs Canonicorum
„ Sæcularium pag. 48. quo etiam Nomine vocatos sæpè fuisse Ca-
„ nonicos aliarum Cathedralium Germaniæ, Spirenses, Wirdunenses,
„ Nemetenses, Trevirenses, habemus ex Trithemio in Historia Hier-
„ saugica sub Anno 967. & 979. & ex Bruschio licet damnati nomi-
„ nis lib. 1. de Episcopis Germaniæ in Baldrico 22. Episcopo Spiren-
„ si & Bernardo 21. Episcopo Padebornensi, & alijs. 2do hoc idem
„ evidenter convicit Institutum, quod Canonici Trajectenses profite-
„ bantur; dicit namque Marcellinus loco citato Cap. 6. quòd Viri
„ illi Apostolici missi a S. Egberto, qui novellæ Trajectensis Ecclesiæ
„ prima fundamenta posuerunt, ordinaverunt, & instituerunt inter
„ se eandem conversationem, quæ initio nascentis Ecclesiæ fuit Apo-
„ stolis & Discipulis Christi, in quibus nullus eorum ex ijs, quæ pos-
sidebat,

sidebat, aliquid suum esse dicebat. In vita quoque S. Odulphi, quæ est apud Surium tom. 3. die 12. Iunij legimus illum; *cum regimen Ecclesiæ Ooscotanæ suscepisset, non diu post visum est ei, adire, summæ reverentiæ locum Trajectum, antiquitùs VViltemburg dictum, idq; ea mente, & consilio, ut illic cum cæteris Dei famulis, Christo ibidem militantibus, quoad viveret, præpotenti Deo serviret. Memoria ergò retinens, quod Salvator ait: Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, &c.* Sed & de S. Willeico Trajectensi Canonico scribit Marcellinus lib. 1. vitæ S. Suiberti Cap. 26. Quod spe supernæ retributionis mundum, & omnia derelinquens, Canonicus fiebat novellæ Ecclesiæ Trajectensis. Idem de S. Gregorio Episcopo Trajectensi legimus apud eundem Molanum in Natalibus. Iam verò Institutum vitæ communis cum perfecta abdicatione omnium bonorum temporalium, quale profitebantur Clerici Apostolici in primitiva Ecclesia, fuisse Institutum Canonicorum verè Regularium, & Voventium, quale profitentur, qui nunc Regulares Canonici vocantur, solis luce clariùs liquet, & nos latè deduximus lib. 2. Generalis Hist. per multa capita: & habetur ex Eusebio Cæsariensi lib. 2. hist. cap. 16. & 17. Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis, in Marco & Philone, & Clemente I. Vrbano I. Benedicto XII. Eugenio IV. Sixto IV. & V. quorum testimonia dicto lib. 2. cap. 4. & 5. & alibi copiosè attulimus: fatentur enim omnes supradicti Pontifices Institutum, quod modò Canonici Reg. profitentur, illud idem esse, quòd olim Clerici à SS. Apostolis instituti profitebantur.

Ibi quoque præcipuum Molani fundamentum evertimus, quo ait, Canonicos Reg. ex sæcularibus ortos per restructionem: è contrario probantes Canonicos ipsos Sæculares ex Regularibus derivatos per relaxationem.

LXX. Cæterum, quod ad Ecclesiam Colonensem spectat (de qua præcipuè nunc agimus) illud maximè favet, quod idem Molanus dicto lib. 1. Cap. 14. de Canonicis scribit de illius Ecclesiæ sæcularizatione facta sub Philippo Episcopo 44. quodque ante illum notaverat Ioannes Mauburnus in Venatorio dicto lib. 2. Cap. 30. nimirum nonnullos ex Canonicis dictæ Ecclesiæ ab observatione sui regularis Instituti nullatenus discedere volentes, Novesium profectos, Monasterium ibidem construxisse, & illuc se recepisse. Quod etiam testatur magnum Chronicon Belgij, & Petrus Cratepoleo de Episcopis Coloniensibus in Abelluino Episcopo 11. Cæterùm extra omnem dubitationem est, Canonicos illos Novesienses verè & propriè regulares, cum votorum emissione semper extitisse, sicut per Dei gratiam nunc sunt. Quod si Molanus advertisset, non video, quâ ratione inficiari potuisset, ipsos Colonienses verè regulares fuisse cum votorum emissione. Eidem quoq; veritati adstipulantur B. Patris Augustini Regula, cum constitutionibus, claustris, officinis, & alijs omnibus ad veram regularitatem, quam Molanus vocat Monasticam, spectantibus, quæ omnia olim apud Ecclesias Coloniensem, Trajectensem, cæterasq; Cathedrales, & Metropolitanas fuisse, Viri graves, & omni exceptione majores apertissimè testantur. Hi sunt, I. Iacobus de Vitriaco, S. Romanæ Ecclesiæ Cathedralis, qui vixit circa annum 1230. in Historia Occidentali cap. 30. Sic scribens. *Non solùm autem prædicta Regularium Congregationes multiformes supra S. Augustini regulare fundamentum sub diversis artificibus, varia construxerunt ædificia: sed & Cathedralium Ecclesiarum Ministri, quos nunc Canonicos appellamus, sub eadem Regula communiter à primæva eorum institutione Domino servierunt in humilitate & paupertate.* Quam rem longiùs prosequens probat, Canonicos Sæculares ex Regularibus descendere per relaxationem. 2dus est Albertus Crantius in sua Metropoli lib. 3. cap. 15. sic scribens: *Excepit illum ordine nonus in Ecclesia Hildeboldus, cujus memorabile nomen inde est, quod Fratribus suis multa providens benefecerit. Admoneor hoc Nomine, quod in Annalibus ubiq; lego, per Ecclesias vixisse Fratres Ordine utique Canonico sub Regula S. Augustini. Sed ubi abjectum est hoc nomen, ut erubescant deinde dici Fratres, hoc retinentes, ut Canonici sine Regula, (cùm Canon sonet Re-*

„ gulam) *& Domini dici ament.* *Complura idem Autor eodem lib. cap. ultimo, & lib. 4. cap.* „ *7. quæ essent videnda.* 3tius est ipse Molanus dicto lib. 1. cap. 14. seu potiùs Ecclesia Co- „ loniensis in Epistola, quâ Canonicis Trajectensibus rescribit, in qua post verba à Molano „ relata, quæ proximè reddidimus, & alia multa ad idem spectantia, sic tandem concludunt. „ *Hæc omnia usu antiquitatis instituta antiquitùs habemus, & tenemus, attendentes Sanctissi-* „ *mos Patres, qui cum Christo viventes, nobis in suis scriptis loquuntur, allegantes Augustinum,* „ *& alios.* Ecce tibi Institutum vitæ communis secundùm Regulam Sanctorum Patrum, „ præsertim Augustini, quod à Coloniensibus tenebatur.

LXXI. Accedit in ejusdem veritatis corroborationem, quòd omnes, qui de Con- „ gregationibus Canonicorum Regularium, nunc vel antea existentibus, & de illarum „ originibus scribunt, non tam novas institutiones, quàm veteris Instituti Ecclesiarum Cathedra- „ lium, & Metropolitanarum labentes reparationes eas vocant. Certè Congregatio no- „ stra Lateranensis nihil aliud fuit, nisi reparatio Ordinis in Ecclesia Lateranensi labentis, „ per Alexandrum II. Paschalem II. & alios Romanos Pontifices inchoata, & absoluta. „ Idem dicendum de Congregatione S. Crucis Colimbriæ in Lusitania. S. Rufi primò apud „ Avenionem, deinde apud Valentiam in Gallijs: de Novesiensi propè Coloniam, quod „ etiam Autor Chronici Coloniensis parte 2. pag. 162. notavit, & de Gilbertina in Anglia. „ Innocentius quoque hujus nominis I. Romanus Pontifex in decretis editis in Concilio „ Romano anno 1139. supponit tanquam rem notissimam, usque ad illa tempora omnes „ Canonicos Regulares sub D. Augustini Regula militasse. Videantur decretum 9. & 26. „ Demum Benedictus XII. in Bulla Generalis reformationis Ordinis Canonicor. Reg. S. „ Augustini, quam nos reddidimus lib. 2. Generalis Historiæ Cap. 43. pro re constanti sup- „ ponit, Canonic. Cathedrales Reg. & Metropolitanos cum alijs extra Cathedrales in Mo- „ nasterijs, & Congregationibus degentibus, ejusdem prorsùs fuisse, & esse Ordinis, & In- „ stituti: licet inter se aliqualiter essent differentes in Habitu, tam quo ad formam, quàm „ quo ad colorem vestimentorum. Idem manifestè supponunt, qui dicunt, Ordinem Ca- „ nonicor. Reg. Later. qui nunc sunt, à B. Augustino reformatum, à SS. Apostolis, & il- „ lorum discipulis descendisse: quæ res sæpiùs coram Romanis Pontificibus est ventilata, „ & ab illis fuit definita. Clerici namq; regulariter viventes, quos B. Apostoli instituerũt, „ & S. August. reformavit, erant Clerici in Cathedralibus potissimum degẽtes, licèt etiam extra „ Cathedrales in Collegijs, seù Monasterijs viverent. Quam veritatem semel probasse suf- „ ficiat, ad illorum scrupulos amputandos, qui Clericos in Cathedralibus regulariter viven- „ tes, vel non verè Regulares, vel non ejusdem Ordinis, qui nunc Ordo Canonicor. Reg. „ dicitur, fuisse arbitrentur.

Sed quod in proposita materia, de qua nunc sermo est, omnem dubitationem „ eliminat, ad convincendum Canonicos Colonien. tempore B. Aquilini Mart. fuisse verè „ Regulares ejusdem professionis, & habitus, cum alijs regularibus, quos Molanus vocat „ Monachos, extat hodieq; Mediolani in æde vetustissima S. Laurentio Levitæ ac Martyri „ sacra, sacellum paris vetustatis eidem S. Aquilino nuncupatum, in quo primùm ejus ca- „ daver positum usque ad nostra tempora servatum est (nam ante paucos annos elevatum „ honorificentiori loco, ubi nunc visitur, repositum est) in fornice ejusdem Sacelli sunt „ imagines, seu icones circiter 24. depicti, totam B. ipsius Aquilini vitam, martyrium, se- „ pulturam, & miracula ad ejus tumulum patrata referentes. Nec dubitari potest, ipsas „ imagines esse vetustissimas ante annos plus minus sexcentos, quod imagines Christi & „ Apostolorum in superiori absida musivo, seu tassellato opere depictæ ostendunt. Hæ i- „ magines tum ipsum Aquilinum, tum Canonicos Colonien. tum Canonicos S. Laurentij, „ apud quos Mediolani vivus, & mortuus est commoratus, omnes cum eodem habitu re- „ gulari, & usuali referunt, quem hodieq; Canonici Reg. Lat. in Italia, Victorini in Gallijs, „ Novesienses, seu Windesimenses Coloniæ, & per inferiorem, & superiorem Germaniam „ deferunt, cum eadem prorsùs tonsura Clericali, & rasura in superiori, & inferiori parte „ capitis ad modum Coronæ, quam Regulares communiter ferre solent; hoc uno exce- „ pto, quòd pro tunica alba, quam nos Lateran. & Nostri Windesimenses deferimus, illi „ griseam ferebant: quod etiam in Gallijs, & alijs locis in Italia, ut in Monasterio S. An- „ dreæ Vercellarum, S. Bernardi in Monte Iovis, S. Iacobi Cellævolanæ Diœcesis Coma- „ clensis fieri consueverat, & notatur in dicta Bulla Benedicti XII. §. 40. qui est de Habi- „ tu Canonicorum.

XI.

SCHEMA

SANCTORVM CONFESSORVM

NON

PONTIFICUM

Ex Ordine CANONICORUM REGULARIUM Apostolico.

Iuxta præcit. IOANNEM *de nigra* VALLE.

LXXII. DE SS. Confefforibus (quos Joannes de nigra Valle in univerfum quatuor millia & quingentos numerat) multa ante præmifimus fub quocunq; Schemate; hic de folis Sanctis Confefforibus non Pontificibus, quod videbitur magis congruum, fubjungemus. Et inprimis *S. Gilbertus* unus ex Reformatoribus Ordinis Canonici in loco Sempingamia Diœcefis Lincolnienfis fuit, prout monftrat ipfum Monafterium de Sempingamia, & totus Ordo Gilbertinorum nuncupatus, qui femper Canonicorum non Monachorum appellatur, ut videre eft in Catalogo Monafteriorum exiftentium in Anglia, tempore defectionis Henrici VIII. collectus per Ioannem Speod, & in Catalogo Scriptorum Anglicanorum, collectus per Ioannem Pitfium pag. 252. ubi expreffè fatetur illum inftituiffe fuos Alumnos fub Regula D. Auguftini: quod etiam teftatur Balæus Centur. 3. & Polydorus Virgil. lib. 7. Cap. 11. & firmat Epiftola Alexandri Epifcopi Lincolnienfis ad Alexandrum III. Papam pro defenfione ejusdem S. Gilberti & fui Ordinis fcripta, quam reddidit Ioannes Picardus in notis ad Cap. 16. lib. 1. hiftoriæ Gulielmi Neobrigen. ubi Gilbertum & fuos Alumnos vocat Canonicos cum expreffa infinuatione Regulæ D. Auguftini. Quomodo ergò fubfiftere poteft veritas unius Arnoldi Uuion, qui in Lib. *Lignum Vitæ* feu in Martylogio Monaftico recens edito in Belgio, S. Gilbertum inter Ciftercienfes collocat? nifi fortè ideò, quòd in perficienda Canonici Ordinis reformatione S. Bernardi Abbatis operâ & confilio ufus fuerit? & fuorum Conftitutiones ex Regula D. Benedicti collegerit? Idem Author fcilicet Arnoldus Uvion adfcribit fuo Ciftercienfi Ordini Noftrum *S. Odulphum* & *S. Marcellinum*; fed nullo jure, cùm hi duo Sancti Canonici fuerint Profeffi in Monafterio S. Salvatoris Trajectenfi: quod *fub immediatè præcedenti Schemate in S. Aquilino*, Canonicorum non Monachorum fuiffe probavimus. Præterea de S. Marcellino eft, quòd in vita S. Suiberti femper feipfum Canonicum appellet, & Trajectenfem Conventum Canonicorum Cœnobitalium. Idem de S. Odulpho Ioannes Molanus *Lib. 1. de Canonicis Cap. 6. notat*, quem Trajectenfis Ecclefiæ Canonicum vocat. Nihilominus negari non poteft cum illis Canonicis Clericis, ab initio ex Anglia Trajectum profectos, nonnullos fuiffe Monachos Evangelij prædicandi causâ, quod alias pofterioribus temporibus factum apparet ex *Cap. Deus qui de vit. et honeft. Cleric.* & exinde fortè Arnoldus occafionē errandi habuit. Idem Scriptor loco citato, (cui adminiculatur Trithemius lib. 3. de Viris illuftr.) *S. Trudonem* Nobis invidet, quem cùm non poffet fuis Monachis, eum Benedictinenfibus appropriavit, eo delufus fundamento, quòd Monafterium S. Trudonis ab antiquo tempore tenuerint: at non obfervavit B. Trudonem Metis (ubi communi omnium opinione prima Religionis rudimenta nactus eft, & Presbyter factus) in Virum perfectum adolevifle, quæ Metenfis Ecclefia Clericorum Regularium fuit, ut patet ex Chronica Metenfi in Clemente Epifcopo, ubi præter alia dicitur:

Sub Vitallone XLII. qui in bello cecidit, Regularis Disciplina Metis perijt. Favet ejusdem Sancti Professioni Canonicæ Theodoricus Monachus, qui ejus vitam scripsit, nullibi tamen eum Monachum appellavit, sed semper Clericum vel Presbyterum &c.

LXXIII. *S. Bernardus* Natione Allobrox &c. Ut habetur in Proprio Canonicor. Regular. die 15. Iunij, quorum Institutum amplexus est Prætoriæ Augustæ, non obstante quòd illum Arnoldus in partem suorum, Molanus in ornamentum Eremitici Ordinis, nescitur quo fundamento trahant. Nam reddit ingenuè quod suum est in Augustiniano Monastico part. 2. Cap. 17. Nicolaus Crusenius Augustinianus Doctor, dùm hæc ait: *Post S. Frigdianum sanctitate & miraculis celebris anno MLXXX. floruit* B. Bernardus *in Italiæ finibus Augustæ Prætoriæ in Salassis ortus, ac in plerisq; Monasterijs Canonicorum Regularium educatus, sub Regula S. P. Augustini, sanctissimeq; obijt in Monasterio S. Ursi, de quo latiùs Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ.* In eandem sententiam collimat alter Eremitici Ordinis Historicus Fr. Alphonsus Orozco in Chron. B. Augustini & suorum Eremitarum, & Carolus Episcopus Novariensis in sua Novaria Lib. 10. ubi ex professo vitam ejus describit. Præterea locus ipse hunc S. Confessorem, probat fuisse Canonicum Regularem; Ecclesia enim Augustana illis temporibus Clericorum Regularium fuit, ut constat ex Pontificali Romano, & Lib. Taxar. Apostolicar. de quibus videri potest Noster Gabriel Pennotus in hist. trip. lib. 2. Cap. 33 Num 6. De hoc S. Bernardo non, ut alij volunt, claræ-Vallensi (quem errorem causat identitas Nominis) illud memorabile proditum est, quòd cùm in monte Iovis (nunc S. Bernardi dicitur) in finibus Allobrogum Sedunensis Diœcesis statuam Iovis, ex qua dæmon responsa dabat, futura prædicendo & dispensando sanitatem evertisset, & Incolas à miserabili servitute dæmonis, & abominabili superstitione liberasset, dæmone verò adjurato, in deserta loca & invia eum amandasset (quâ de causâ cum dæmone concatenato ad pedes à Novariensibus & Campestribus depingitur) in illo inquam monte Ecclesiam (quæ pariter S. Bernardi dicitur) & Monasterium pro Canonicis Regularibus fundavit, ubi in nigris quidem, hastati tamen lineo signo incedunt, hastam scilicet lineam per transversum super vestem nigram in signum Canonicæ Professionis, sicut in Gallia, Germania, alijsq; Regionibus deferentes.

LXXIV. *S. Domitius* Confessor, S. Petri Ambianensis, & *S. Germanus* S. Martini Ambianensis Canonici Regulares fuerunt; juxta Joannem de nigra Valle, utramq; enim Ecclesiam fuisse constat Canonicorum Regularium ex lib. Taxar. Cameræ Apostolicæ. Et insuper alterius meminit Innocentius III. lib. 1. fol. 116. in Epist. ad Episcop. Ambianensem. Ubi dicit: *Authoritate tibi præsentium indulgemus, ut nisi dilectus Filius Abbas, S. Martini de Gemellis, Canonicos sui Ordinis in Domo Spiss. Campi, quam ejus Ecclesiæ Religionis obtentu ad instituendos ibidem sui Ordinis Fratres, liberalitate propria concessisti, duxerit instituēdos, tu post trinam commonitionē vel ejusdem vel arctioris Ordinis Viros, instituendi appellatione postposita liberā habeas facultatē.* In hac

Eccle-

Ecclesia extare memoriam liberalitatis S. Martini in pauperem, testis est Aubertus Miræus lib. de Collegijs Canonicorum Regularium Cap. 49. Ubi hæc habet: *Ante Altare notatur locus in quo S. Martinus adhuc Cathehumenus & postea Turonensis Episcopus chlamydem suam scidit, et pauperi petenti dedit; fuit enim olim eo loci urbis porta, quæ omnia volupe Nobis fuit ex adjuncta inscriptione discere, cùm ante annos aliquot Ambiani essemus.*

Testatur etiam Martyrologium Scotisticum apud Gilbertum Brunum Abbatem Dulcicordij pag. 78. *S. Aluvinum* fuisse Canonicum Regularem, & Socium S. Thomæ Cantuariensis, ex Monasterio S. Mariæ de Maretonia propè Londinum.

LXXV. Ad hanc Sanctorum Classem pertinent, opinione sanctitatis clarissimi, nondum tamen canonizati ejusdem Instituti Viri. Inter quos primatum tenet propter dignitatis excellentiam *B. Ivo* Episcopus Cracovien. S. Victoris Parisiensis Conventûs, Canonicus, ut memorant Acta Nostræ Mstoviensis Canoniæ, & Dominicus Frydrychowicz S. Th. Præsentatus Ordinis Prædicatorum Lib. intit. S. Hyacinthus *Tit. 2. declar. 7. in Ivone*, & clarè indicat insignis Professor Academiæ Cracoviensis Josephus Biezanowski Lib. de vitis Archiepiscoporum & Episcoporum Cracoviensium in Ivone dicens: *Postquam Vincentius* (Kadłubkovius) *Episcopatu Cracoviensi spontè se abdicasset, Ivo Filius Saulis Comitis in Konskie, Prosapiæ Odrovazorum, Cantor Gnesnensis, Canonicus Cracoviensis, et Cancellarius Lesconis Albi, Cracoviensis et Sendomiriensis Ducis, Habitum deferens S. Victoris Parisiensis, hoc est Rochetum sub Mantello, per electionem Canonicam in Episcopum Cracoviensem XIX. assumptus est; ab Henrico Archiepiscopo Gnesnensi anno Domini 1218. consecratus.* Et clariùs adhuc antiquissimus Scriptor Ioannes Długosz Canonicus Cathedralis Cracoviensis, Nominatus ArchiEpiscopus Leopoliensis, de illius Professione Canonica in hæc verba differit, apud Samuelem Nakielscium in sua Miechovia fol. 136. *Vir valde religiosus ac Prædicator excellentissimus, qui dum Parisijs operam navaret literis, Habitum Canonicorum Regularium S. Victoris assumpsit, eorumque Ordinem fuerat professus.* Cujus religionem si homines taceant, monumentum effatur, quod est tale Cracoviæ in Ecclesia Sanctissimæ Trinitatis.

O S S A

I V O N I S de Konskie O D R O W A Z I I

D I V I H Y A C I N T H I P A T R U I,

E P I S C O P I C R A C O V I E N S I S.

Mutinâ, ad quam Anno Dñi M. C. C. XXIX. Vitâ defunctus est, Cracoviam à Patribus Ordinis Prædicatorum hujus Conventus.

Anno eodem

T R A N S L A T A.

Hoc sub rudi Saxo conclusa.

Cujus in Deum pietatis, in Ecclesiam & Patriam zeli & charitatis fuerit, testes sunt & monumenta: Templa Deiparæ Virginis in foro

Cracovienfi, Claræ Tumbæ, S. Spiritus Crac. Mftovienfe, Dzierzaznen. Konfcen. Monafteria Sanctiffimæ Trinitatis Ordinis Prædicatorum, Claræ Tumbæ Ordinis Cifterciens. Mftovienfe Canonicorum Regularium S. Auguftini, Hofpitale S. Spiritus de Saxia Crac. omnia proprijs impenfis, annis XII. quibus Ecclefiæ Cracovienfi præfuit, extructa & dotata.

Ioannes Wężyk Abbas Commendatarius Claræ Tumbæ, fepulchrum hoc Monafterij, fui optimi Parentis marmore contexit. Anno 1618.

LXXVI. *Ioannes Rusbrochius* ut dicit Nofter Ioannes Trullus lib. 1. de Ord. Canonicor. Reg. Cap. 6. Canonicus Regularis Vallis viridis propè Bruxellas Prior, fanctitate & eruditione clariffimus, quem nonnulli alterum Dionyfium Areopagitam appellant. Cùm adhuc in fæculo viveret Sacerdos fæcularis, adeò fui ipfius & eorum, quæ mundi funt fuit incurius, ut mifer & defpicabilis videretur. Erat enim totus quietus, taciturnus, habitu corporis defpectus, fed cultus moribus. Et quia contemplationi deditiffimus erat, turbas & afpectus hominum libenter declinabat. Verum pofteaquam fexagefimum annum attigit, admirandâ vitæ fanctimoniâ præditus ad Viridem Vallem fefe contulit. Eft autem Viridis Vallis Cænobium Canonicorum Regularium in fylva Zonienfi juxta Bruxellas Oppidum Brabantiæ, ubi more aquilæ renovata mentis juventute, tam dilucidè cæpit intelligentiæ aciem in æterni folis claritatem defigere, ut vix pauciffimi extremam ejus partem nunc attingere videantur. Unde etiam usq; ad ultimum penè vitæ tempus, licet jam multo fenio confectus, nunquam fertur Miffæ celebrationem intermififfe, nifi vel adverfa valetudine, vel alicujus negotij gravitate impeditus. Tandem cùm fuum præfciviffet obitum, fanus mente & facie rutilus, cum ingenti gaudio fpiritum Cælo dignum exhalavit 1381. die 2. 10bris cùm jam 88. annum ageret, & fermè 64. annis Sacerdos fuiffet. Extat pulcherrima illius non pauca Opera, Germanico quidem idiomate confcripta, fed jam non ineleganter latinè reddita à Laurentio Surio Carthufiano. Ea verò funt quæ fubijciuntur: Summa totius vitæ fpiritualis. Speculum falutis æternæ. In Tabernaculum Moyfis & ad id pertinentia commentaria, ubi multa Exodi, Levitici, Numerorum Myfteria, Divino fpiritu explicantur. Tractatus de præcipuis quibusdam virtutibus. De Fide & Iudicio libellus. De 4tuor tentationibus. De 7ptem cuftodijs opufculum longè pijffimum. De 7tem gradibus amoris. De Nuptijs fpiritualibus libri tres. De perfectione Filiorum Dei. Regnum amantium Deum. De vera contemplatione opus præclarum. Epiftolæ 7ptem utiliffimæ. Conciones duæ admodùm fpirituales. Samuel, qui alias de alta contemplatione dicitur; veriùs autem apologia quorundam hujus Sancti Viri dictorum fublimium infcribi poffet. Oratio perbrevis, fed pia valde, ex vita ipfius, fuis opufculis præfixa à quodam Canonico Regulari, ejusdem ferè temporis confcripta. Hæc ex Dionyf. Carth. Tr. 2. de donis Spiritus S. art. 13. & 27. & alijs locis. Præterea Cardinalis

nalis Bellarminus Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, sic eum commendat: *Ioannes Rusbrochius Natione Belga, Prior Monasterij Vallis Viridis, Vir Divinæ contemplationi addictissimus, multa scripsit linguâ suâ patriâ, quæ in Latinam linguam conversa, edita sunt Coloniæ 1552. Sunt autem: Summa totius vitæ spiritualis. Speculum salutis æternæ &c.* Tantæ autem contemplationis hic B. Vir fuisse perhibetur, ut cum *in Meditatione sua exardesceret ignis*, & super se arborem succenderet, ardorem non senserit, majori flamma ignis Divini intus succensus, prout repræsentat imago ejus in Regia Nostra Basilica SS. Corporis Christi Casimiriæ ad Crac. depicta in minori Choro, & Icon impressa, quam apud me conservo cum hac inscriptione: *B. Ioannes Rusbrockius Canonicorum Regularium in Viridi Valle propè Bruxellam primus Prior, reperitur sub arbore ardente, non comburente, in Divina contemplatione absorptus. Vixit annos 88. Obijt scriptis & miraculis clarus, anno 1381. die 2. 10bris.*

LXXVII. Apud Ravennam Flaminiæ, nunc Romandiolæ Civitatem, olim præclaram in littore Adriatico, Templum est vetustissimum, Religione celeberrimum, & famâ notissimum, Virgini Deiparæ sacrum, cum Conventu Canonicorum Regularium; non solùm ab Incolis & finitimis in magna veneratione habitum, sed ab Historicis commendatum, ac etiam à Poetis Dante Aligero, qui vixit circa annum 1320. & Francisco Petracha, qui vixit anno 1350. decantatum. Expost evasit celebrius illud Collegium, dùm ex bono conversationis Religiosæ odore, excrevit in Congregationem. De cujus Congregationis Viris illustribus scribens Noster Ioan. Philippus Novariensis in Chronicis lib. 7. Cap. 11. & seq. sic dicit: *Floruerunt in hac Congregatione multi Viri sanctitate insignes, ac inprimis ipse Petrus Prior, cujus virtus in operibus pietatis spiritualibus & corporalibus, usq; ad vitæ exitum, probata potissimum emicuit. Nam quoad spiritualia attinet, ordinaverat hic beatus ac pius Pater, cùm Monasterij Prioratum ageret; ut Canonici sui Psalmos Davidicos frequēter recitarent, & fructum Dño tribuendum cōmitterent. Contigit verò illis diebus quosdam peregrinos ire versus occidentem, qui dùm quâdam die per Vallem profundissimam montibus clausam ambularent, procedentes audierunt quasdam voces humanas, fortiter clamantes & dicentes: Peregrini, retrorsùm revertimini, quia iter errastis, sed abite usq; ad tale bivium, & in dextra, vestra via est. Tùm unus ex ipsis exclamavit: Rogo per DEUM ut dicatis Nobis qui estis? & respondentes dixerunt; Animæ sumus mortuorum, quæ habemus locum hunc pro purgatorio deputatum, sed quia, revelantibus Nobis Angelis, scimus Vos de partibus Romandiolæ venire, rogamus ut in reditu vestro in Patriam, gratias immortales agatis nomine Nostro, P. Priori S. MARIÆ in Portu extra Ravennam, significantes ei, quod fructus illorum Psalmorum, qui à Canonicis illius Monasterij dicuntur, Nobis Dominus pro sua misericordia tribuit, & quotidie aliqui ex Nobis ad Cælum evolant. Illi autem ad iter suum properantes, postmodum in Patriam reversi, & euntes ad prædictum Monasterium, omnia per ordinem Priori narraverunt. Qui vocatâ Canonicorum Congregatione, monuit in Psalmorum lectione ferventius insistendum, omnibus Domino gratias agentibus, qui tribuit unicuiq; juxta opera sua.* Simile quid notatur de illo, ex ope-

ribus misericordiæ corporalibus: Cùm quadam die in morbum decidisset ex quo & mortuus est; morte instante petijt sibi dari piscem, qui Lampreda Italicè dicitur, quem statim coctum Minister Patri obtulit. Dominus autem JESUS Christus veniens, ut animam servi sui in Cælum assumeret, etiam in extremis tentavit; nam dùm piscis infirmo porrigitur ut comedat, illico campanula ad portam Monasterij crebris ictibus pulsatur. Quod audiens S. Pater, curre inquit Ministro velociter, & vide quid sit? Ille ad portam accurrens pauperem senem, & infirmum præ foribus inveniens; cur ait importunè strepitas? At ille: Pater miserere mei pauperis & senis & infirmi. Cui Minister: Patientiam habe, tibi eleemosyna Panis & Vini tribuetur. Verùm ille: Panem & Vinum nolo, sed oro ut detur mihi una Lampreda, alioqui moriar. Quod audiens stomachatus ad Patrem redijt. Cui Pater: Quid est? Fili, indica mihi. at ille subridens; Comede inquit Pater, postea edisseram. Nequaquam, inquit, sed magis negotium explica. At ille: Pauperem ad Portam reperi senem & infirmum, dicentem se nolle eleemosynam Panis & Vini, sed unam Lampredam. Quod audiens Pater; vide ait Fili. Dominus JESUS est, qui me usq; ad extremum vitæ probare vult. defer pauperi piscem. Cùmq; Minister ivisset ut pauperi daret, pauperem non invenit, & ad Patrem rediens eum emigrasse reperit, nec dubium cum Christo, qui formam servi acceperat, eum in Cælum ascendisse. Quæ res toti Congregationi admirationi fuit, & ingens attulit gaudium.

LXXVIII. In Suesionensi Episcopatu Provinciæ Rhemensis, propè Civitatem, est insignis Abbatia S. Ioannis de Vineis, ubi hæc contigisse narrat Noster Ioann. Philip. Novarien. lib. 7. cap. 7. *Suesionensem Civitatem in Gallia, excommunicationi, rectiùs interdicto subjacuisse diutiùs, & nonnisi sub silentio Divina Officia Clericos ministrasse. In Vigilia igitur Assumptionis B. MARIÆ, Dominus Ioannes Prior Canonicor. Reg: S. Ioannis in Vineis, extra muros ejusdem Civitatis, assumptis secum tribus Canonicis devotissimis Viris, in monte proximo Civitati, in loco ubi quondam Eremita resederat, ad celebrandam Solennitatem Virginis gloriosæ secesserunt. Inclinato autem die, cantatis Vesperis, Panem & aquam ore sobrio libaverunt, & Completorio dicto post Orationes devotas & longas, membra super nudam humum (desertus enim erat locus ubi quieverunt) paululum prostraverunt. Nec mora decentior, surgunt ad Matutinum, cantant simpliciter ac devotè, ac ubi ante laudes, Prior nonam lectionem finivit, subitò concentus mirabilis insonuit Angelorum, & responsorium;* Felix namq; es &c. *altissimis vocibus cantaverunt: quo peracto tantùm quatuor ex illa multitudine* versum & Gloria *singulariter decantaverunt, multitudine semper respondente. post repetitionem verò 2dam, iteratò* Felix namq; &c. *juxta morem Gallicum inhoaverunt, & prosequentibus omnibus, communiter finiverunt. Prior autem inchoato* Te Deum laudamus *Matutinas cum suis laudibus perfecerunt. Quibus dictis quot singultus? quot lachrymas? quot suspiria? recordatione suavissimi modulaminis ab imo pectoris ediderunt, illi 4tuor beatissimi Viri, non est nostræ possibilitatis evolvere vel effari.* Hæc Author qui tunc Suesione præsens erat, quo tempore ista acciderunt.

LXXIX.

LXXIX. Idem ibidem Cap. 14. refert de Venerab. *Iacobo de Clusiani* Præposito S. Georgij de Brinate, propè Ticinum, in agro Mediolanensi, quòd cùm esset Vir magnæ sanctitatis & liberalitatis in pauperes, quodam tempore magnæ famis & sterilitatis, omnia quæ habere poterat, pauperibus distribuebat. Unde cùm ad eum accessisset quadam die pauper rusticus, & cum lachrymis procidens ad pedes illius rogâsset: *Miserere mei D. Præposite, en fame morior cum filiis meis.* jussit Procuratorem, parum frumenti, quod solùm in horreo pro necessario victu Canonicorum servabatur, pauperi dari; & renuente Procuratore dixit: vade, spero enim in Domino quòd triticum in horreo præparatum invenies; qui dicto obediens ivit, & horreum adeò plenum invenit, ut præ quantitate frumenti ostium aperiri non potuerit.

Magnis etiam deprædicat encomijs & meritis concelebrat, Noster Gabriel Pennotus lib. 3. Cap. 51. hist. trip. *B. Franciſchinum* in hæc verba: B. Francischinus de Casali Diaconus, licet fuerit staturæ pusillus, vitæ tamen sanctimoniâ excelsus & magnus extitit. Hic ex humilitate Diaconi gradum nunquam voluit transcendere. Quàm laudabilitèr & sanctissimè in Religione usq; ad senectam vixerit, palam omnibus est. In Monasterio Mortariensi ubi vitam egit, semper Officio portæ usus est. Admirabantur cuncti eò accedentes, videntes prima facie homunculum veneranda canitie, aspectu Angelico, sermone discreto, conversatione humillimum. Speculum non solùm illius Monasterij erat, sed etiam totius Religionis; & quamvis per humilitatem ipse se occultaret, de eo fama circumquaq; ferebatur. Multos infirmos varijs languoribus detentos sua oratione sanavit, multis in calamitatibus positis & penè desperatis, futuram prosperitatem prædixit, nam prophetiæ spiritu plenus erat. Omnes in eo relucebant virtutes; misericors, pius, & clemens; unde Pater pauperum appellatus est. Multoties in oratione positus, rapiebatur in extasim mentis, unde fertur quòd quodam tempore in nocte D. Nostri JESU Christi Nativitatis, puerulum JESUM sibi à Matre MARIA oblatum dulcitèr amplexatus est. Obijt in ipso Monasterio (scilicet S. Crucis Mortarien.) clarus miraculis usq; hodie. Inter miracula verò quæ Omnipotens ad hujus S. Viri preces operari dignatus est, non reticendum, quod Noster Joan. Philippus Bergomen. in Chron. lib. 7. Cap. 13. refert his verbis: *Narravit mihi Venerabilis P. D. Augustinus Mediolanen. de Fagnano, dum ipse esset Vicarius in Monasterio S. Crucis sub P. Andrea de Biliis de Mediolano Præposito accidisse miraculum, quod narro: venerandus ille Pater Franciſchinus Canonicus Regularis, ejusdem Monasterij & Diaconus, qui dicebatur Pater pauperum; petijt à D. Præposito sibi dari pro pauperibus illud parum Vini, quod de more remanebat in vase, de quo totus Conventus bibit. Libentèr Viro DEI annuit Pater: ille autem Beatissimus, per sex Menses continuos de illo Vino pauperibus abundanter tribuit, mirantibus cunctis &c.*

LXXX. Taceo *B. Fulgentium*, de quo Catalogus Episcoporum Cremonensium bonam mentionem facit in hæc verba: *B. Fulgentius Cremonensis, Ordinis Canonicorum Regularium clarus habetur. Obijt circa annum 1470.*

Prætermitto *Martinum* Bergomensem, qui apud Papienses pro Beato colitur: & *B. Blasium* Vincentinum, & *Andream* de Domo Offulæ, nec non plurium aliorum, quorum sæpè dictus Gabriel Pennotus in diversis locis historiæ tripartitæ signanter lib. 3. Cap. 51. sanctam celebrat memoriam. Verùm non videtur mihi prætereundum, externum testimonium in approbatione libri de vita Venerab. *Alberti* de Altissimis per Paulum Æmilium Saracenum Canonicum Reg. editi, quod tale sequitur: *Ego Fr. Camillus de SS. Angelis à Colurno, Ordinis Prædicatorum S. P. Dominici S. Th. Magister, & ab Apostolica Sede Inquisitor Generalis, in Ecclesia Vincentina specialiter delegatus. Visa attestatione R. P. Fr. Spiriti de Mantua, Ordinis ejusdem, ac etiam S. Th. Magistri, præsens opus editum per A. R. P. D. Paulum Æmilium Saracenum, Nobilem Vincentinum, Priorem S. Victoris extra Bononiam, concedo imprimendum, in quo vita, mores, & acta continentur celeberrimi Viri D. Alberti de Altissimis, Civis Vincentini, Almi Ordinis Canonicorum Lateranen. Reg. cujus vitæ sanctimoniam, simplicitatem, rectitudinem, continentiam, mundi & vanitatum ejus contemptum, propriæ carnis neglectum, & totalem abdicationem ab omni, sæculi non tantùm voluptate, sed etiam solatio, summa cum animi mei admiratione cõspexerim, dùm tanti Viri, cæterorũq; Venerabilium Canonicor. & con-Sacerdotum ejus, amabili consuetudine donatus, aspectu ejus pariter & affectu singulariter oblectarer. Cæcus mihi quidem videbatur Christi servus iste, & surdus & mutus: in omnibus, & ad omnia, præterquam in obsequium Creatoris sui, sine amore, sine desiderio, sine timore, sine gaudio, sine ira, nisi in ordine ad Summum Bonum. Nulla ei unquam videbatur inesse turbatio, nullus mæror, afflictio nulla, tranquillitas insignis, eximia quies, placida semper facies; ejus jucundus aspectus, sermo compositus, brevis locutio, modica verba, sed omni pietate referta. Funeri ejus cum assisterem, vidi totius Vincentini populi fidelis & pij copiam ingentem, tam Nobilium, quàm popularium personarum, Virorum pariter ac fœminarum per integrum triduum concurrentium, ad exanime corpus videndum & amplectendum in loculo jacens, cui viventi locus non fuerat extra Monasterium, & qui sæculi semper consortium declinaverat in vita, à toto sæculo quærebatur in morte. In quorum fidem & c. Datum Vincentiæ in Ædibus S. Officij die 9. 9bris. Anno 1620. Fr. Camillus de SS. Angelis Inquisitor antedictus.*

LXXXI. Nec illud silentio tegendum, quod de Monasterio Rubeæ Vallis, & de Canonicis ejusdem loci R. P. Heribertus Rosueidus in Epist. liminari ad Chronicon VVindesimense annotavit: *Sanctitatis eluxere specimina* in Ioanne *cui à Sapientia cognomen erat, qui ita ardentes preces ad Deum fundebat, ut immensum sæpè lumen circa Caput ejus fulgere visum sit.* Ioannes *Gelemannus puerulum gestasse à Ioanne Duijc, qui ei sacra operanti ministrabat, conspectus est. Tanta quoq; pietate rem Divinam faciebat* Gulielmus *Proeckius tertius Prior, ut Cameracensis Antistes sæpius se Bruxellis subtraheret, ut in Rubea Valle, Viri Sancti Sacrificio interesset, & à tam Sancto Fonte pietatis fluenta in suam familiam derivaret.* VVinandus *etiam cocus, prophetiæ gratia donatus legitur.*

Auxit numerum Beatorum Congregatio S. Victoris Parisiensis, quæ sacris pignoribus *B. Hilduini* primi Abbatis dictæ Canoniæ gloriatur, & *B. Thomæ* Martyris ejusdem Cænobij Prioris, & alterius Pri-

oris

oris *B. Raucheri.* His annumerat Episcopos duos *B. Achardum* Abrincen-
sem, & *B. Gaufredum* Meldensem, qui cum facultate Innocentij III. cedens
Episcopatui in eadem Abbatia sanctissimo fine quievit. Et insuper ad-
jungit *BB. Richardos* duos, unum dictum de S. Victore, quem superiùs
sub Schemate Doctorum Num. LVIII. suo encomio non fraudavimus, alterum
Richardum Scotum, & *Hugonem* de S. Victore cujus multis titulis glori-
osam memoriam præmisimus *sub Schemate Cardinalium Num. XXXVII.*

Nec prætermittendi videntur illi sex beati Viri, qui seipsos VVin-
desimensi Congregationi fundandæ, in Belgio, lapides angulares ob-
tulerunt, inter quos fuit Frater germanus Venerab. *Thomæ à Kempis, Ioan-
nes* nomine, dignus sanè stylo & laudibus ejusdem Ven. Th. Kem-
pensis in suis opusculis celebrari.

LXXXII. Verumenimverò inter Congregationes Canonicorum
Regularium nulla mihi nobilior, nulla sanctior videtur, quæ magis
exornet Ordinem Canonico-Apostolicum, ac Colimbricensis S. Cru-
cis, in Regno Portugaliæ, ut potè Prioratu primo *S. Theotonij* (cujus
diem 18. Februarij annua solennitate recolimus) dignificata; *S. Antonij*
Padvani per novem annos cælesti conversatione illustrata; Beatorum
Ioannis Roberti, *Petri* Noniz, *Alphonsi* & *Petri* nec nō SS. sq; Martyrū ad Ma-
rochiū *Gudini, Gondisalvi, Sesnandi, Menendi, Laurentij* insignita; insuper Ve-
nerabilium *Anselmi, Urbani, Blasij, Pauli, Gasparis, Antonij* à Plagis, cæ-
terorumq; multorum (de quibus Noster Gabriel Pennotus in alle-
gatâ multoties historia trip. lib. 2. Cap. 61. ubi per unum sæculum
20. Episcopos, exceptis alijs Viris doctis ex illa Congregatione nu-
merat) condecorata; & quasi ipsi ad meritam commendationem non
sufficerent, tot sac. pignora, etiam Dynastarum & Regum Portugaliæ
utriusq; sexus singulari protectione, immò & professione Regulari no-
bilitata est. Et quod maximum est miraculosè dictorum sq; Mar-
tyrum Reliquijs honorata, qui S. Antonio Paduano ad Minoritarum
Ordinem sese transferendi, occasionem dederunt. Cùm enim Al-
phonsus II. Portugaliæ Rex illorum SS. Martyrum apud Marochium
pro fide Christi à Saracenis interfectorum Sac. Ossa colligeret, & ad
Cathedralem Colimbricensem deferri statueret; mirabile dictu! Mu-
la, quæ hujusmodi Reliquias in capsis conditas ferebat, ad postes Cæ-
nobij S. Crucis substitit, nec ullatenus locò moveri potuit, donec
aperto templo ingressa, ante Altare majus genibus flexis procumbens,
non priùs surrexit, quousq; sac. pignora deponerentur. Aderat tunc
S. Antonius, & exinde martyrij desiderio accensus, ad Ordinem Fran-
ciscanum transijt; prout de omnibus Chronologia ipsius Regis Al-
phonsi, & Chronicæ Franciscanorum lib. 1. Cap. 19. obloquuntur.
Ubi etiam Cap. 23. hoc memorabile superadditur; quòd prænomina-
tus Venerab. *Petrus Noniz* Urraticæ Reginæ præfati Alphonsi Regis,
Conjugis, à Sac. Confessionibus existens, dùm nocte quadam in Ec-
clesia S. Crucis oraret, magnam multitudinem Fratrum D. Francisci,
dictam Ecclesiam ingredi conspexit, & Matutinas cantari audivit, in
medio verò eorum quendam cæteros præcedentem advertit, quem

alij quinq; alijs præcellentiores sequebantur. Hæc ille cernens, ac stupens, ex uno illorum quanam de causa illa multitudo Fratrum, nocturno tempore Ecclesiam ingressa fuisset, quæsivit. Tunc ille: Nos, inquit, omnes quos vides Fratres Minores sumus, qui nunc in Cælis Deo fruimur: Ille quem tanta gloria circumdatum vides, est B. Franciscus Assisius, alij sq; qui præ cæteris eminent gloria, sunt qui Marochij pro Nomine Christi passi sunt. Venimus autem huc, ut Reginæ Vrraticæ exequias per Matutinales horas præstaremus, quæ tantopere Nostrum Ordinem dilexit. de cujus obitu uti Confessorem ejus, te latere non volumus, cùm sis timens Deum. His dictis disparuerunt.

LXXXIII. Ad hanc classem pertinet *Petrus* Polonus, nescitur casune an industriâ à Nostra Polonia sic dictus, qui multo tempore in Tremitana Insula, D. Jacobo Majori, sacra, eremiticam vitam ducens, & interim in adjacente Insula, Deiparæ Virgini, dicata, cælicam vitam Canonicorum Regularium contemplans, die quadam illos accessit, & cum seipso totam Insulam (quam Romani Pontificis diplomate munitus possederat) eis obtulit, promittens se nunquam ab eorum societate velle recedere; & ut dictis fidem faceret Bullas Pontificias illorum manibus consignavit. Quod Canonici illi admirantes, & in se devotionis affectum perpendentes, eum in confratrem suum receperunt, & ad vitam communem admiserunt; qui religiosissimè cum eis vivens, non multò post, cum fama sanctitatis decessit. Porrò Insulæ Tremitanæ à trino montium objectu, nomen acceperunt, antea vocabantur Trinacria, teste Virgilio lib. 3. Æneid. frequentiùs Insulæ Diomedææ à Diomede Ætoliæ Rege post eversum Ilium illic cum socijs advecto, ibiq; sedibus positis, vitâ functo ac tumulato. Hæ sunt in mari Jonio Dauniam abluente, quæ nunc Apulia dicitur, non procul à Monte Gargano, vel à Sipontinis, de quibus idem Virgil. Ovid. Dionys. & alij. Item S. Aug. lib. 18 de Civit. Dei, de Avibus Diomedæis loquens, Insularũ scopulos tenẽtibus, quas socios Diomedis ibidẽ mersos, & in volucres mutatos, ipse Diomedes apud Virgiliũ sic queritur.

Hanc etiam horribili portenta sequuntur,
Et socij amissi petierunt æthera pennis,
Fluminibus vagantur aves, heu dira meorum
Supplicia, & Scopulos, lachrymosis vocibus implent.

Harum garritus veluti vox vagientis infantis, obauditur, & nisi quis earum cõgnitionem haberet, crederet potiùs pueros in cunis vagire, quàm garrire aves in cavernis.

LXXXIV. Auget & claudit Catalogum nondum Canonizatorum Canonicorum B. *Meinhardus* & B. *Jutta* Vidua, Pruthena, oblatissa eorundem Canonicorum Regularium Ecclesiæ Chełmzensis, ex Illustri & antiqua Familia Sangerhausen, Patre Alberto, Matre Heduige in Oppido Paterno Bug nuncupato, medio miliari à Civitate Chełmza, orta; cujus vitam transsumptam ex eadem Ecclesia Chełmzensi, nunc Cathedrali, luculentissimè & copiosè describit Martinus Baronius Jaroslaviensis Clericus, *in vita B. Stanislai Casimiritani.* Ubi etiam viginti Stanislaos Polonos, Opinione Sanctitatis celebres deducit. Expost de B. Meinhardo in hæc verba informat: *B. Meinhardus de Zegeberg Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini Vir pietate & sanctimonia vitæ insignis, Lubecâ Civitate celeberrima, cum mercatoribus conscensa Navi, in Livoniam anno partæ per Christum salutis 1200. trajicit, & conspiciens in tam insigni & præmatura messe, nullos operarios extare, continuò ibi famuli convictu contentus, ætatem transigere instituit; casamq; ibidem ex arbustis, propter imbres arcendos construxit, paulatim deinde hominum familiaritatem captare, & tædio superato, habita jam mutui convictus & contractæ notitiæ cum incolis Regionis opportunitate, Religionis & rerum Divinarum eos admonere cæpit, sensimq; à vano idolorum cultu ad Christianæ fidei observantiam adducere, auspicante Deo, & pium Viri religiosi conatum fæcundante, complures Incolarum, in agnitam veritatis doctrinam consenserunt; quorum crescente numero, multorum animis ut fit, rei novitate & insolita religionis studio flagrantibus, Basilica (in loco, quem hodie vocant Kirkolm ubi est arx præcipua Livoniæ, ad Ripam Duinæ fluminis, duobus milliaribus supra Rigam, hodie florentem Metropolim Regionis illius) summo studio instauratur, nec multo post B. Meinhardus ab ArchiEpiscopo Bremensi in Livoniæ Episcopum consecratur. Qui ut S. Adalbertus Pruthenorum, sic & ipse Livonum Apostolus factus, in Messe Christi strenui operarij munus adimplens, Christianam rem multùm adauxit, & magnam gentis partem ad Christum convertit. Postea plurimis documentis & statutis sanctis Ecclesiæ à se fundatæ, relictis, opere bono consummato, feliciter vitam cum morte commutavit. Ibidemq; in Livonia non sine multis miraculis Rigæ quiescit anno D. 1205. Die 10. Mai.*

XII.

SCHEMA

CANONICORUM REGULARIUM

CONGREGATIONIS S. SALVATORIS LATERANENSIS

QUI ALIORUM ORDINES VEL FUNDAVERUNT

VEL

ILLUSTRAVERUNT.

LXXXV. EX hactenus adductis authoritatibus & documentis liquet veritas Joannis de nigra Valle citati sub. Num. 1. & sequ. quoad assertiones præmissas ubi dicit: *Ordo Canonicus inter omnes Ecclesiasticos Ordines, seu Religiones primatum, sive majoritatem obtinet* Antiquitate, Doctrina, Nobilitate, atq; *Sanctorum* Numerositate. Maximè verò quoad hanc: *Quia ex Canonico Ordine omnium primario, cæteræ omnes Religiones veluti ex limpidißimo fonte quasi rivuli profluxerunt; ex eo namq; primùm Monasticus Ordo traxit Originem.* Et infra. *Ex ipsa namq; Canonica plantatione, quasi exemplari quodam, & deliciarum Paradiso, 4tuor flumina Gihon, Phison, Tygris, & Euphrates, 4tuor scilicet Mendicantium Ordines originem traxerunt; Ordo videlicet Prædicatorum &c.* quod nec ipsi negant ingenui Patres, qui beneficij memores haud vulgari gratæ mentis prodigio, fontem coronant, ex quo suum esse hauserunt, dùm Canonicos Regulares Lateranenses in Nostra Polonia, suos appellant Patruos, unum ex conCanonicis Nostris protestantes *S. Dominicum*, per suum Vincentium Belvacensem *in specul. historial. lib. 29. Cap. 95. & seq.* & per S. Antoninum Florent. *part. 3. hist. tit. 23. Cap. 4.* qui sic ait: *In Ecclesia Cathedrali Oxomensi in Regno Castellæ, sub Didaco Episcopo, instituti fuerunt Canonici Regulares, è quorum numero & Canonicus & subPrior erat, B. Dominicus.* Ubi S. Antoninus prius Beatum notat, antequàm Prædicatorum Ordinem instituerer; pro priori enim magnis sanctitatis coruscabat indicijs. Nam toto decennio apud Canonicos mirâ constantiâ Albigensium hæresim in Concionibus exagitavit; quamlibet Quadragesimam in solo pane & aqua jejunavit. Somnus illi parcissimus fuit, in nudo ligneo strato, ne quando ad spiritualia exercitia obdormiret. Dùm quodam tempore cum præfato Episcopo Oxomensi, Didaco, Tholossam perveniret, hospitem suum ad Catholicæ fidei veritatem blanda suasione perduxit, & alibi alios complures, quam rem gratam sibi D. DEUS testari voluit, nam cùm Albigenses libellum à S. Dominico conscriptum, continentem dogmata fidei, igne delere niterentur, *2do* & *3tio* flammis injectus, prodijt incombustus. hæc & aliâ similia præter Breviarium Romanum, Petrum de Natalib. Surium, Lipelloū, citatus Belvacēsis Cap. 94. & seq. nec non 103. & seq. sanctitatis affert documenta.

LXXXVI. Minùs præstitit Nostra Religio Carmelitis, quàm alijs Religiosis Ordinibus, dùm eis non quidem incorporavit *S. Albertum* Patriarcham Jerosolymitanum, quem superiùs Patriarcharum Schema è corpore Canonicorum Regularium esse demonstrat, sed aliquomodo communicavit, ut eis per Carmelum dispersis, ex operibus D. Basilij M. regulam aptaret observandam, prout deducit Fr. Petrus Th. Saracenus in Cenologio Carmelitarum (cùm ex sensu Roberti Olchot in lib. Sap. lect. 95. Divi Augustini regula, eremitis minùs quadrare videatur.) Qui tamen haud immemores beneficij in speculo Ordinis per Danjelem à Virgine MARIA, edito, non spoliant Nos (ut cæteri beneficiarij consueverunt) jure Nostro, quod firmant dùm

 in

in vita ejusdem S. Legiſlatoris ſui, adducunt pro Nobis Ferdinandum Ughellum de Epiſcopis Bobien. in Ital. Sac. tom. 4. qui ſic ait: *B. Albertus de Caſtro, Gualterij, Canonicus Regularis Mortariæ Præpoſitus, hujus* (Bobien) *Eccleſiæ eligitur Pontifex, anno 1184. ad Vercellen. Eccleſiam antequam in Bobienſi inaugararetur, translatus, ac deinceps factus Ieroſolymitanus Patriarcha* à Cæleſtino III. ut vult Onuphr. in Chron. ſub anno 1204. *per Martyrium ad Cælos aſcendit, cùm priùs Carmelitis Fratribus vivendi normam dediſſet.* Eadem continet Chronica Canoniæ Mortarienſis, quem tamen SS. Confeſſoribus annumerat, longè exiſtens ab eorum opinione, qui putant in publica Proceſſione ad S. Crucis honorem ab ipſo inſtituta, mucrone vulneratum, & martyrio coronatum, cùm hæc aſſertio debiliſſimo innitatur fundamento.

LXXXVII. Nec ingratior re & nomine candidus Præmonſtratenſium Ordo, qui licet nullo humanitatis officio in Nos decertaret, quòd de Nobis per *S. Norbertum* progenitus fuerit, anno 1120. Unus pro omnibus adæquatam ſatis præſtitit Nobis gratitudinem Joannes de nigra Valle, qui & S. Nobertum in Catalogo Sanctorum Ordinis Noſtri, Nobis reſtituit, adjutus in hac pietate ab Authore vitæ iſtius Sancti, Cap. 22. & Joanne Molano *cit. lib. 1. Cap. 23.* & non ſine ingenti labore in præſenti opere Noſtrum colluſtravit Ordinem.

Familia quoq; Carthuſianorum ex eodem Ordine Canonico originem ſumpſit; nam *S. Bruno* Canonicus fuit Rhemenſis Eccleſiæ, pro tunc Regularis, ut patet ex Surio in vita iſtius Sancti, qui acceptis ſecum duobus Coadjutoribus Sancti Propoſiti, utroq; Stephano Dienſi & Burgenſi, ex Congregatione S. Rufi in Gallijs, Coloniam Carthuſianam fundavit & ſolidavit, prout ex Chronicis dictæ Congregationis in Vita *S. Hugonis* Gratianopolitani, qui & ipſe Canonicus Regularis fuit, apparet, & uberiùs deducit Noſter Gabr. Pennotus in hiſt. trip. part. 2. Cap. 73.

Nec Minoritæ S. Franciſci denegant Nobis juxta Raph. Volater. cit. primum decus ex Divo *Antonio* Patavino, antea Ferdinando de Bullohes dicto, qui poſtquam annis undecim in Ordine Canonicorum Regularium, ſcilicet in Canonia S. Vincentij Ulyſſiponenſis, & S. Crucis Colimbricenſis, ſanctiſſimè converſatus fuiſſet, martyrij deſiderio ad Ordinem S. Franciſci trāſivit, ex occaſione SS. Martyrum de quib⁹ *ſub Num. LXXXII.* tetigimus, ibiq; publicè ſac. literas interpretaturus, primus Magiſtralem Cathedram Aſſiſij aſcendit, & primus ex illo Ordine poſt S. Franciſcum à Gregorio IX. in Divorum numerum relatus eſt.

Eremitæ quoq; S. Auguſtini (præter alios multos quos ſibi ipſi mytiſtorica narratione arrogant, contra evidentes evictiones externorum Scriptorum, qui amore veritatis etiam alienam injuriam ferre nequeunt) *S. Nicolaus* Tolentinas ex Ordine Canonicorum Regularium admirabili vitæ ſanctitate, & quæ usq; modò patrantur ad ejus reciſa brachia, miraculis, illuſtravit, ad hos enim *arctioris vitæ* ſtudio ſe trāstulerat, quàm jam antea in Canonia S. Salvatoris de Caſtro S. Angeli Firmanæ Diœceſis, ſancta converſatione exercuerat, teſtimonio S. Antonini Florenti-

rentini 3. part. hist. tit. 24. in principio, ubi ait: *In juvenili igitur ætate, sanctè conversatus, cujusdam Ecclesiæ S. Salvatoris, Canonicus efficitur Regularis.* Et licet hæc Ecclesia quoad præsens sæcularizet, antea tamen regularem fuisse, præter vetusta illius monumenta, indicat nomen ac dignitas Prioris, inter Canonicos olim retenta.

LXXXVIII. Præterea Benedictinorum Cassinensium S. Justinæ Patavij, *Ludovicus* Balbus Canonicus Regularis, Patritius Venetus, postea Episcopus Tarvisinus Author fuit. Cluniacensibus verò, quasi non sufficeret *Odo* Turonensis antea Canonicus, & *Guibertus* Fundatores, alter Cluniacensis, alter Gemblacensis, Monasteriorum, multos ex Canonicis Regularibus bonæ conversationis odore, ad se traxerunt, ut *Otthonem* Gallum, qui postea Urbanus II. fuit; *Azuppium* Romanum postea Leonem III. *Raynerium* postea Paschalem II. alios verò, uti Leonem IV. Sanctos *Beruuardum* & *Godehardum* Hildesimẽses Episcopos, *VVolfranum* Senonen. *VVolfangum* Ratisbonen. *Leodegarium* cæterosq; ex dicto Canonicorum cætu (ut supra jam deduximus & infra patebit magis) sibi gratis adsciverunt, imbelli quâdam antagoniâ, contra manifestissima Authorum argumenta, ut supra jam multis in locis ostendimus signãter *sub Schemate VII. de Episcopis Num. L. & seq. in S. Ildefonso.*

Insuper Cistercienses *S. Thomam* Cantuarien. Episcopum, ob diuturnum in Pontiniaco Monasterio domicilium, suum venerantur. Multò plùs exhibent prout debent *S. Malachiæ*, qui ex affectu in D. Bernardum Claræ Vallensem, primus in Hiberniam eorum institutum invexit, (*quæ Monachorum quidem nomen audivit, ab antiquo tempore*, ut ait idem Bernardus in vita ejusdem S. Malachiæ; *sed Monachos nondum vidit*) illudq; partim per se, partim per suos conCanonicos inibi longè latèq; propagavit.

Alij alios ex Canonico Ordine nos expropriantes Nativis decoribus, sibi pro libitu appropriant, nullo solido habito fundamento, ut revolventi & trutinanti bene, historicos, patebit; nec volunt Nos habere Patrem Augustinum, vel per hoc roborantes Nostram Originem fluxisse de altiori fonte, excisos de Petra Christo, & Progenitores habere Apostolos. Alij exCanonicantes Nos, vix non excommunicantes de terra viventium, nè quidem Titulum Canonicorum Nobis volunt habere communem, quid de Habitu congenito Nobis? quasi nescij ipsum Supremum Monarcham Dominum Apostolicum, non offendi, vix non per omnia pari forma vestiendi, ex dictis *sub Num. 41.* his etiam nuda vocabula obstant.

LXXXIX. Soli Patres Venerandi Sanctissimæ Trinitatis de redemptione Captivorum, contenti regularibus institutis, pro quibus addiscendis ab Innocentio III. ad Abbatem & Canonicos S. Victoris Parisiensis, fuerunt destinati, ut constat ex Literis ejusdem Innocentij Papæ *lib. 1. fol. 237.* rejestratis, nullum ex hac Congregatione sibi prætendentes, adoptarunt. Cæteri quiq; Ordines, quos Noster Gabriel Pennotus præallegatus toties, *in hist. trip. lib. 2. Cap. 74.* triginta sex militantes sub Regula S. P. Augustini enumerat, & alios sex Militares


Ordines adjungit, exceptis Canonicis Regularibus, quos in 24. Classes seu Congregationes (juxta varias Reformationes & eorum Capita, quas progressus temporum exigebat) distinguit, contenti sola protectione Divi Patris & Regula, illibatum & intactum Ordinem Nostrum ab iniquo raptu, reliquerunt.

Basiliani quoq; Patres præter *S. Basilium* juxta dicta *sub Schemate VII. Num. XLVII.* & *S. Gregorium* Nazianzenum juxta Joannem de nigra Valle cit. nil ampliùs à Canonico-Apostolico Ordine, mutuasse videntur.

Nihilominus Clerici Regulares *S. Pauli Decolati*, plùs præ alijs Religiosis participarunt ab Ordine Canonico; nam præter Ecclesiam S. Barnabæ in Civitate Mediolanensi, quæ etiamnum Canonicorum Reg. fuit (unde vulgò Barnabitæ dicti sunt) auxiliante potissimum Nostro *D. Seraphino* de Firmo, Canonico Divæ Mariæ Passionis, *Iacobus* Morigias Mediolanensis, *Franciscus* Maria de Zacharijs Cremonensis, & *Bartholomæus* de Ferrarijs, Institutum ejusmodi perfecerunt.

Idem præstitit præfatus Domnus Nomine, opere, ore, & re, *Seraphinus* Firmanus (fuit enim Verbi Divini Præco fervidissimus, cujus etiam nonnulla extant Opuscula typis exarata, miram suavitatem Cælestis odoris spirantia) *Clericis Boni IESV* in Civitate Ravennæ, dùm pari dexteritate alios devotos Dei cultores, in erigenda ejusmodi nova Congregatione, anno 1526. fortissimè adjuvit.

Ultra Spirituales Ordines, Sacra Divi Joannis Jerosolymitani Rhodiorum Equitum Religio, à Canonicis Regularibus in Ecclesia Jerosolymitana, ad Christi Sepulchrum excubantibus, Crucem lineam candidam, mutuavit, quasi partem eorum Rocheti cum Regula S. P. Augustini, in protestationem & evidentiam suæ originis, vendicare sibi percupiens.



XIII.

XIII.
SCHEMA
SACRARUM VIRGINUM
CANONISSARUM
REGULARIUM.

LXL. JAm feſſus calamo Noſtri Ordinis Encomiaſtes Joannes de nigra Valle ſiſtit metam, conſequenter pro Virginali Canoniſſarum Regularium Choro celebrando, cogit Nos aliunde conquirere documenta. Et primò quidem de *S. Gertrude* Pipini I. Ducis Brabantiæ Filia, Abbatiſſa Nivellenſis Monaſterij (fuit enim altera ejusdem Nominis Abbatiſſa Trebnicenſis apud Treviros, cujus meminit Fr. Philippus Ferrarius in ſuo Martyrologio die 17. Martij) quàm pro more ſuo Trithemius lib. 3. de Viris illuſtr. S. Benedicti Cap. 113. & Arnoldus Uvion in ſuo Martyrolog. Monaſt. in ſuæ Religionis trahunt ornamentum, ſed Nos etiam pro more Noſtro opponimus eis externum Joannis Molani teſtimonium, qui in Natalibus Sanctorum Belgij ſub die 17. Martij illam Canoniſſam, & quidem Regularem non ſæcularem fuiſſe indicat. Et ſuperaddimus pro hac ipſa Opinione prætermiſſis pluribus, alios tres è Noſtris, ſcilicet Joannem Mauburnum Abbatem. Lib. 3. ſui Venatorij Cap. 21. Nicolaum Deſnos lib. 5. de Canoniſſ. Cap. 1. Ubi *S. Gertrudem Fundatricem Nivellenſis Monaſterij in Brabantia & primam Abbatiſſam Canoniſſarum Regularium* (licet poſtea in ſæculares degeneraríint) *à S. Amato velatam & conſecratam*, ait. 3tium Gabrielem Pennotum in Annotationib. in Officia Sanctorum Canonicorum Ordinis Noſtri, ubi hæc habet: *2dò* refragatur Habitus; nam habitus Sanctimonialium Monacharum maximè Ordinis Divi Benedicti erat pullus & niger. Et ſanè Monachorum & Monacharum habitum fuſcum vel nigellum extitiſſe habemus ex Divi Hieronymi Epiſt. 4. & 15. Auguſtini Epiſt. 199. ad Ediciam, Turpini in vita Caroli M. Cap. 15. & ex uſu omnium Monachorum antiquorum Orientalium & Occidentalium: E contrario verò habitum Canonicor: Regular: & Canonicarum album fuiſſe habemus ex ejusdem Hieronymi Epiſt. ad Nepot. Auguſtini in Regula ad Canonicos, quæ etiam accommodata eſt Canoniſſis in Epiſtola 109. ubi dicitur: *veſtimenta veſtra ſecundum arbitrium Præpoſitæ laventur, ne interioris animæ ſordes contrahat mundæ veſtis nimius appetitus*, quæ utiq; ſolæ lavari conſueverunt, ne connaturalem nitorem perdere videantur. His addere poſſumus Turpinum loc. cit. & hiſtoriam B. Brigidæ de habitu candido, quam inferiùs allegabimus. Præterea de habitu S. Gertrudis albo, quo ſemper Canonici & Canoniſſæ ubiq; fermè utuntur (propterea alicubi Albæ Dominæ dicuntur) ſpecialitèr conſtat ex hiſt. B. Modeſtæ Virginis Trevirenſis, quam habet Surius Tom. 6. die 6. 9bris quòd nimirum apparuerit illi B. Gertrudis poſt mortem in habitu albo, qualem in vita deferre conſueverat.

LXLI. *3tio* refragatur hiſtoria *B. Begghæ* Sororis ejusdem S. Gertrudis, quæ cùm apud Andanum & ipſa ad imitationem ſuæ Sororis ædificaſſet 7ptem Eccleſias & Monaſterium, expetivit ex Monaſterio germanæ ſuæ S. Gertrudis perſonas probatas, quas Clauſtro & vitæ puellarum præfecit. Fuiſſe verò Moniales per S. Begghàm inſtitutas profeſſione Canoniſſas, & quidem Regulares notat Molanus in ſuo

Indiculo, quanquam quoad præsens sæcularizent, sicut & Nivellenses. Confirmat quoad hoc ultimum, Nicolaus Desnos citatus, quãquam in omnibus contrarius Pennoto dicens: *Andanæ ad Mosam in ditione Namurcensi extat celebre Canonissarum Collegium, quod construxit & locupletavit S. Beggha Matrona, Soror S. Gertrudis, quæ Ansigiso Viro perempto, Romam adivit, unde cum benedictione Adriani Papæ & donatis insignibus Reliquijs reversa, in honorem 7ptem Ecclesiarum Romanarum, Andanæ Cænobium 7ptem Ecclesiarum fundavit, ubi fæminas sub Religione Canonica congregavit, & claustris regularibus munivit. Obijt velata 16. Calendas Ianuarij, quo die festum ejus celebratur in ditione Namurcensi.* Sed quæ olim erant Regulares, nunc vocantur *Dominæ Andanenses & Canonicæ sæculares,* ait Molanus.

Hinc patet inordinatus zelus Trithemij, quem non indagandæ veritati, sed coacervandis alienis decoribus, & aggregandis suo Ordini, quasi non satis fæcundo Divi Benedicti prole, sacrificare contendit.

Patet 2. inconsequentia Molani, qui *Lib. 1. de Canonicis. Cap. 15.* annotavit Canonicos Regulares ex sæcularibus processisse: hic contrarium, & quidem rectiùs vel ex illo assumpsit principio, quòd Natura semper ad laxiora propendeat.

Patet 3. S. Gertrudem non solùm Canonissam, sed etiam Regularem non sæcularem fuisse, fuit enim velata & consecrata à S. Amando, expost facta Abbatissa Monasterij &c. ut præter adducta videri potest in ejus vita, quæ omnia minimè conveniunt Canonissis sæcularibus. Præterea de S. Beggha ejus germana apud Mauburnum lib. 3. Venatorij Cap. 21. habetur: *Corde & voto se obligaverunt Deo servire, usq. ad extremum vitæ in proposito regulari.* Insuper Gaspar Bruschius de Monasterijs Germaniæ fol. 18. testatur Monasteria Canonissarum sæcularium in Germania, ab initio fuisse Regularia, sub Regula S. Augustini. Idem confirmat Mauburnus loco cit. Claudius Espencæus lib. 2. de Cælib. Cap. 12. Molanus in Natalib. Sanctor. sub die 17. Martij, ubi refert Joannem Nider Theologum Ordinis Prædicatorum diligentiam omnem adhibuisse, ut inveniret originem Canonissarum sæcularium, & nihil aliud invenire potuit, nisi quòd ab initio omnes erant sub Regula Divi Augustini & Divi Benedicti.

LXIII. *S. Brigidam* nedum Virginem, sed sacram fuisse & quidem in Ordine Canonicarum Regularium, sic deducit Noster Pennotus in annotationibus Proprij SS. Canonicor. Ord. Nostri ex triplici fundamento. *Alterum* est (dicit ille) sicut fuerunt semper in Ecclesia duo Regularium Ordines Habitu & Professione distincti, Canonicorum videlicet & Monachorum, quod in Generali Historia Ordinis Nostri probavimus; ita fuisse etiam ab initio nascentis Ecclesiæ duos Ordines Sanctimonialium, Habitu & Professione quodammodo distinctos, videlicet *Canonissarum*, quæ antea dicebantur Diaconissæ & Mulieres Clericales, juxta Philonẽ lib. 2. de vit. supplicum. & Euseb. lib. 2. hist. Ecclesiast. Cap. 16. & seq. ut observat Noster Nicolaus Desnos lib. 5. Cap. 3. & seq. de Ordine scribens, ubi earum originem à Levitis veteris Testamenti, prout Joannes de nigra Valle cum alijs citatis *sub Num. XIV.* Canonicorum Regularium deducit; & *Monacharum*, de quâ re si quis forsan hæsitat, legat Divum Basilium M. inter cujus opera est libellus sub Tit. animaduersionum ad Canonicos & Canonicas delinquentes. Item Innocentium III. in Cap. *Cum dilecta* de Majorit. & obed. ubi de quadam Abbatissa Canonissarum sermo habetur. Item Sigibertum Gemblacen. in Chronico sub anno 820. Et ne simus prolixi in re notissima

PRIMUM & ULTIMUM HUJUS II. PARTIS
SCHEMA
DE
CANONICIS REGULARIBUS LATERANENSIBUS
CONGREGATIONIS CRACOVIENSIS
QUI NOS

Cum fama sanctitatis præcesserunt & dormiunt in somno pacis.

tissima legantur Informationes utriusq; Ordinis videlicet Canonicarũ & Monacharum in Concilio Ticinensi sub Benedicto III. anno 855. in Concilio Remensi sub Eugenio II. Cap. 3. in Concilio Parisiensi sub Gregorio IV. & Ludovico I. Imp. anno 829. Cap. 46. ubi dicit: *Comperimus etiam quosdam Canonicos & Monachos, postposito Religionis suæ pudore, Monasteria Sanctimonialium tam Monacharum quàm Canonicarum inconsulto Episcopo imprudenter & irreverenter adire.* Et clariùs in Concilio Cabilonensi sub Carolo M. quod Cap. 53. sic habet: *Libuit namq; huic sac. Conventui quasdam admonitiunculas breviter eis sanctimonialibus scribere, quæ se Canonicas vocant, quoniam eæ quæ sub Monastica forma degunt, totius vitæ suæ Ordinem, in eadem, quam profitentur Regula, scriptum habent.* En apertam distinctionem Monialium seu Monacharum à Canonissis. Alterum est quòd ad hanc veritatem dilucidandam conducit, nempe quòd B. Patricius Hiberniensium Apostolus, Institutum Canonicorum sub Regula S. Augustini viventium, in Hiberniam invexerit & propagaverit, de quo extat constans traditio Hiberniensium, præter ea quæ supra ostendimus *sub Schem. de Episcopis in S. Patritio Num. 46.* 3tium est S. Brigidam fuisse alumnam Divi Patricij, ut habet Jocellinus in vita S. Patricij Cap. 188. & seq. & à B. Machæa seu Machilla D. Patricij discipulo, ad regularem professionem admissam fuisse, indicant Surius, Cogitosus, Vincentius, & alij omnes in hac materia scribentes: consequens est professam fuisse Institutum S. Patricij sub Reg. D. Augustini, ultra quod nullum aliud pro tunc fuit in Hibernia, ut constat ex D. Bernardo Claræ Vallensi cit. sup. Sed & illius Habitus candidus hoc ipsum demonstrat; nam S. Michæas quando illam ad regularem Professionem admisit, vestem candidam illam induit, cum pallio itidem albo, ut immediatè citati Authores sine contradictione testantur.

XCIII. *S. Aldegunda* pariter velata & consecrata, ut S. Gertrudis à S. Amando, excitaverat Monasterium Canonissarum Regularium in Oppido dicto Malbodium in Hannonia, ut scribit Noster Nicolaus Desnos citatus, nunc ad sæculares spectat, ibiq; religiosis puellis præfuit Abbatissa; cujus etiam meminit Vsuardus, Aubertus Miræus, Bollandus, Triquetius Binetus, Turianus, Hugbaldus Monachus Elnonensis & alij. Obijt anno 673. coliturq; Malbodij festo solenni, sicut & Diva *Aldetrudis* postridie *S. Marhia*, & *S. Madelberta* 7. 7bris quæ priori in regimine successère, prout habet Proprium Malbodiense novem lectionum, quod se vidisse affirmat Nicolaus Desnos & Molanus. Posteriorum duarum sanctarum S. Parens *Valdetrudis*, Vidua, S. Vincentij Comitis Hannoniæ Uxor, fundavit Collegium Canonissarum Regularium, quæ etiam in sæculares degenerarunt in primaria Vrbe Hannoniæ, cujus transitum ad vitam celebrari 5. Idus Aprilis scribit Molanus.

Similiter *S. Refridis* Virgo fundavit Nobile Monasterium Dononij, quæ est Vrbs sita inter Cameracum & Valentinianas, pro Canonissis Regularibus, quibus præfuit, & cum laude sanctitatis obijt anno 800. die 8. 8bris. Sed & istæ cum tempore sæcularizare cæperunt utentes in Ecclesia talaribus Rochetis, velis in Capite, & amplo pallio nigro intus pelliceo.

S. Landrada Virgo (cujus egregias dotes describit Joannes Molanus in Indice Sanctorum Belgij, quamq; Cælesti Sponso puram animam reddidisse scribit 8. Idus Julij) erexerat Canonicarum Regularium Monasterium, suadente S. Lamberto apud Monster Gilsen extra Belisiam in tractu Leodiensi, quod pariter sæcularizavit cũ tempore. Quale Institutum licet non approbet, tolerat tamen Ecclesia ut patet ex Bonifacio VIII. Cap. *Indemnitatibus* in 6to. ubi dicit: *Sunt etiam juxta quarundam Provinciarum consuetudinem, mulieres, quæ nec proprijs renunciant, nec Professionem faciunt regularem, sed vivunt ut in sæcularibus Ec-*

clesijs, sæculares Canonici, quarum statum, Ordinem, seu Regulam nolumus nec intendimus approbare. Et Clemens V. in Cap. *Attendentes*, de ijsdem sic pronunciat: *Illas quoq; mulieres quæ vulgò dicuntur Canonicæ sæculares, & ut Canonici sæculares vitam ducunt, non renuntiantes proprio, nec Professionem aliquam facientes, per Locorum Ordinarios præcipimus visitari; per hoc tamen non intendentes earum statum, Regulam, & Ordinem approbare.*

XCIV. Extant nihilominus plura Monasteria Canonissarum, quæ non tantùm regulæ observantiâ, sed etiam sanctitatis famâ celebres, vivunt, quarumCatalogum in sua Generali historia sparsim per totum nectit Noster Pennotus, præsertim lib. 2. Cap. 49. qui *B. Marinam* Spoleti, *Euphrosinam* Vincentiæ, *Angelam* & *Catharinam*Taurini, sanctâ memoriâ celebrat. Et lib. 2. Cap. 32. & 59. alias enumerat, sanctimoniâ vitæ ac generis nobilitate præstantes Canonissas, inter quas fuit *Maphalda* Regina Alphonsi I. Regis Portugaliæ (*qui à Lusitanis pro Beato colitur*) Vxor, ut patet ex libro defunctorum Canoniæ S. Crucis Colimbricen. qui sic habet: *Obijt Domina Maphalda inclyta Regina Portugaliæ, Conjux D. Alphonsi I. Regis Portugaliæ Canonica S. Crucis. Nonis Iobris.* Hæc post mortem sui Mariti cum Filia sua *Constantia* illud Collegium nobilitavit. Nec illa demeruit sanctitatis honorem, quæ se commisit profesandam S. Theotonio, ut apparet ex formula Professionis ejusdem: *Ego* Monia *Martini filia, timens Deum & ultimi diem Judicij, trado me ipsam Deo & Colimbricensi Monasterio S. Crucis, ac vobis quoq; Domno Theotonio ejusdem Monasterij Priori, & cæteris Canonicis ibidem in perpetuum commorantibus, & offero mecum Villam Almafum, integram juxta fluvium Mondiu sitam, pro qua ego dedi aliam Villam, quæ dicitur Terroso juxta Dorium &c.*

Viennæ in Austria sunt tria Monasteria Sanctimonialium Nostri Ordinis, scilicet S. Mariæ, S. Jacobi, & S. Laurentij, in quorū primo visuntur depictæ inChoro istæ Canonissæ vestitæ lineis: *S. Raydegundis, S. Regina, S. Obortuna, S. Irteberta, S. Gudula, S. Affacundû, S. Geneafera, S. Austerverta &c.* de quibus cujusnam sint Nationis vel Congregationis quærere intermisi, eò, quòd non speraverim me scripturum aliquando in hac materia.

Claudit agmen aliarum plurimarum Virginum & Matronarum SS. Canonicarum, illud sanctitatis & mysticæ Theologiæ prodigium *Baptista Vernacia*, quæ ob insignem sapientiam, superiorem à Nobis inter Doctores meruit & obtinuit locum, *sub Num. LXVII.* hîc quâ Virgo cum cæteris commemoratur.

APPENDIX II. PARTIS
AD LECTOREM.

Non mireris benevolè Lector adeò numerosos ex Lateranensi Familia computari Sanctos, Doctos, & Magnos Ecclesiæ DEI, Prælatos; quia, si præter JOANNEM de nigra VALLE *& alios non paucos Classicos Historicos (Raphaelem Volateranum citatum, lib. 21. sua Antropol. seu Comment. Urbanor. Joannem Bapt. Signium lib. 2. de Canonicis Cap. 8. & seq. nec non Nostrum Gabrielem Pennotum citatum* sub Num. XXII. *qui cum alijs etiam ad præsens multas ex Cathedralibus Ecclesias gubernari à Canonicis Regularibus in Hispania, Gallia, Flandria, Belgio &c. asserit lib. 3. sua hist. trip. per totum), diligenter observaveris, ipse non aliter & quidem indubitatè concludes, Nosq; à propriæ excellentiæ ambitu vindicabis. Distractam equidem vidimus hanc Fratrum coronam, tum invidorum malevolentiâ, tum pietate bonorum; avulsit enim* S. Dominicum *sacra Propaginis Prædicatorum instituendæ, Patriarchalis zelus, separavit* S. Norbertum *novæ Prolis Præmonstratensium amplificandæ, amor; abstraxit* S. Antonium *ad Franciscanos, martyrij desiderium: allexit* S. Nicolaum *Tolentinatem ad Eremitas S. Augustini, arctioris vitæ studium: Segregavit* S. Brunonem *ad eremitica latibula, Carthusiensium plantanda colonia &c. Multò plures, quidam ex Ordinibus* vel copiam sectantes, vel inopiam metuentes *associare sibi, Nostra Professionis Canonicos, imbelli quadam antagonia non erubescunt, contra manifestissima omnis generis Classicorum Scriptorum testimonia, ut de eis meritò usurpari possit illud D. P. Augustini:* Lucent vanitate, sed franguntur veritate. *Nihilominus non invidendum virtuti, nec æmulandum in malignantibus, quòd enim aliqui ademerunt zelota, miseratio Divina in Congregatione Cracoviensi multis alijs sanctitate notatis Viris, cumulatissimè compensavit. De quibus hac II. Parte tractaturi, prius non ingrata amicorum scitu, præsertim Originem ejusdem Congregationis Cracoviensis concernentia præmittemus.*

Jam

JAm ex ſubjecto Schemate apparet appretiabilitas Congregationis Cracovienſis Canonicorum Regularium Lateranenſium, quæ tot pignora cum gloria ſanctitatis genuit & transmiſit Cælo. & per hoc nulli alteri (exceptâ ſolâ Lateranenſi Congregatione, quæ Caput eſt Orbis & *Princeps Provinciarum*) cedit in merito, ſed vel ſuperare ſingulas, vel adæquare contendit omnes. Hujus ut hactenus ſuppreſſam gloriam, debitis non fraudem honoribus, congenitus amor me urget, & dicendi meritorum copia, cogit ſurculum ejus in plures partiri ¶ ¶.

¶ I.

De miraculoſa Origine Eccleſiæ SS. Corporis Chriſti Canonicorum Regularium Lateranenſium, Caſimiriæ ad Cracoviam.

XCV. Caſimirus II. re & nomine Magnus, parvi ſtaturâ Regis (ideòq; vulgò dicti Łokietek) Filius, morem Craci gerens, ut magis celebre Nomen ſuum redderet, inter alias ingentes fabricas, quæ fieri fecit, Caſimiriam Civitatem ex adverſo Arcis Cracovien. trans Viſtulam fluvium fundavit. Teſtis eſt præter alios Polonorum Hiſtoricos Joannes Długoſz Canonicus Cathedralis Cracovienſis, Nominatus ArchiEpiſcopus Leopolien. *Tom. 1.* in hæc verba: *Cracovia per Gracum Principem Polonorum apud Stennam ad Vada fluminis Viſtulæ, condita, & à Graco G. litera mutata in C. Cracovia appellata eſt. Illic enim Regum & Principum Poloniæ, ortûs crepundia; ibi regenerationis in Chriſto aguntur eorum primordia. Illic totius eorum Genealogiæ cineres, magnificis Vrnis & ſumptibus, reconduntur: illic opportunitate & gratia loci præeminens omnium* Polonorum *facile arx & Metropolis, tam Regis quàm Pontificis honorata ſedes, in tres diviſa Urbes* Cracoviam *mediam vocant, cui Arx in colle petroſo & editiori à veteribus Wawel nuncupato imminet, a Viſtula ablutus, ſaxo in pleriſq; locis abſciſſo ſuperimpoſita, & in Coronæ modum, muris, Palatijs, Turribus, cæteriſq; propugnaculis munita, & in ea Regia ſita eſt Sedes, & S. Stanislai Martyris & Pontificis Cracovienſis ſac. Corporis gleba, & Baſilica petrâ quadratâ fabricata, oſsibus & corporibus Reliquiiſq; veneranda plurimorum Sanctorum, clavo inſuper Dominico, & B. Ioannis Mandibula, item corpore S. Floriani Martyris dotata. Altera ad meridionalem plagam Urbs* Caſimiria *à Caſimiro II. Poloniarum Rege, ſuum illi imponente Nomen fundata, ejuſq; B. Stanislai nobilitata Martyrio, Ædium Religioſarum & Civium feracior, infrequens enim extat ædificijs, templaq; ſuperiorem aliquem tenent locum. Tertia Civitas* Florentia *à B. Floriano (in ea priusquam conderetur ædificato Templo) denominationem accepit, & ipſa ab eodem Caſimiro II. Polonorum Rege fundata.*

XCVI. Porrò Caſimirus M. Civitatem Caſimiritanam Mænibus magnificis & fortibus circumcinxit, & Viſtulam fluvium, qui antea inter Urbem Cracoviam & deſignatam Civitatem, mediabat, circumduxit,

duxit, nec non ad majorem dictæ Civitatis decantationem in Gentibus, Academiam eo loci, (ubi nunc est Judaica) initiavit; & propè consummavit, ut habet idem Joãnes Długosz Lib. 9. ad annum 1361. his verbis: *Casimirus Poloniæ Rex volens Regnum suum Poloniæ, studio generali Cracoviensi, adinstar aliorum regnorum magnificare & decorare in Oppido Casimiriensi; ab eo circa Civitatem Cracoviensem in Villa Capitulari vocata Bawol, construi capta est Schola studij generalis secus murum, in loco amplo & spatioso ad mille & ampliùs passus in omnes partes, se protendente; domusq; pulcherrimæ, Cameræ, Lectoria, & primæ officinæ, ex lapideo muro pro cohabitione Doctorum, & Magistrorum dictæ novæ Universitatis, pulcherrimo opere ædificatæ. Missis autem notabilibus Nuntijs & Oratoribus suis Ecclesiasticis & sæcularibus, in Avenionem ad Urbanum Papam V. fundationem hujusmodi à Sede Apostolica admitti obtinuit. Gnesnensis enim ArchiEpiscopus Iacobus II. dictus Swinka, à Summo Pontifice præfato Urbano V. jussus per speciales Literas præfatum studium Casimiriense sivè Cracoviense confirmat. Quod tamen morte Regis Casimiri interveniente non fuit prosperatum, nec dotatio ipsa & fundatio fuit sortita suum effectum*; siquidem à Uladislao Jagellone translata est Cracoviam Academia, anno 1400. & Judæi crebris infestationibus Studiosorum, (*loca sua reliquentes Cracoviæ*) Casimiriam pulsi anno 1492.

XCVII. Accidit autem undecimo post designationem Civitatis Casimiriensis anno, nimirum 1346. ut habet alius Canonicus Cathedralis Cracoviensis Mathias de Miechow, *in hist. Polonorum Cap. 24.* quòd *Quidam nequam & famelici latrunculi sub Octavis Corporis Christi de Ecclesia Parochiali omnium Sanctorum in Gracovia, Delatorium Divinissimi Sacramenti vulgò Monstrantiam furati sunt, compertoq; quòd esset area, illam in paludem Mothe arbustis plenam, ad Ecclesiam S. Laurentij nunc in Casimiria extantem, projecerunt, tunc autem Ecclesiam Parochialem in Villa Bavol, ad proprietatem Capituli Cracoviensis pertinente, nec longè distante, & cùm plures mortales luminaria diu noctuq; in palude relucentia viderent, ad Pontificem Cracoviensem ejusq; Ven. Capitulum, ac deinde ad Regem Casimirum rem tanquam prodigiosam pertulêre. Qui Processionibus totius Vrbis ordinatis, triduano priùs jejunio indicto & exacto, cum hymnis & vexillis paludem adeuntes, Delatorium cum Divinissimo Sacramento acceperunt, & illud ad Ecclesiam Omnium Sanctorum unde ablatum erat, retulerunt. Excellentissimus autem Rex Casimirus in loco inventionis tam ineffabilis Sacramenti, quamvis cænoso & paludoso, Ecclesiam in honorem & titulum Corporis Christi se fundaturum vovit. Nec mora; anno altero nobilem Chorum et Sacrarium cocto latere initiavit et consummavit, Parochiâ quam ex antiquo Ecclesia S. Laurentij habebat, ei adjunctâ, calicibusq; et apparatibus, Crucibus, cæterisq; clenodijs, munificentiâ Regiâ adornavit, et titulum Corporis Christi, quo Ecclesia S. Francisci à primæva sui fundatione, illustrata fuerat, Fratribus Minoribus pretio precibusq; contentatis, ut solidior sua fundatio permaneret, abrogari et extingui procuravit; Villa quoq; in suam ditionem traducta.* Similia affert in eadem materia alter Polonorum Historicus, Martinus Cromerus Episcopus Varmiensis *lib. 12. ad annum 1346.* his formalibus: *Nec illud sanè silentio prætereundum, quod eodem anno, apud Cracoviam accidit; nam cùm conscelerati quidam homines, sacrilega cupiditate adducti, SS. Corpus Christi sub forma panis recon-*

reconditum, cum Ferculo ſuo (Monſtratorium intelligit) *è templo omnium Sanctorum memoriæ dicato, ſuffurati eſſent, atq; id ferculum non aureum ut crediderant, ſed æreum inauratum, eſſe comperiſſent, apud Bubalum ſive Bavolum pagum ſuburbanum, qui erat in ditione Collegij Baſilicæ Cracovienſis, in cænoſam paludem id irreverenter abjecerunt. Mox locus crebris ignibus, atq; faculis dies noctesq; aliquot perpetes, colluſtratus eſt. Id miraculum cùm ad Epiſcopum perlatum eſſet, neq; tamen cauſa ejus pateret, poſt indictum triduanum jejunium, Epiſcopus eò cum ſolenni pompa Sacerdotum, et ſupplicationibus profectus eſt, repertamq; SS. Euchariſtiam, ingenti cum Veneratione eò unde ablata erat, retulit. In eo verò loco, ubi ea reperta eſt, Caſimirus in ſequenti anno auguſtum Templum titulo Corporis Chriſti, de coctis lateribus ædificavit.*

XCVIII. Hinc credo cepiſſe initium Proceſſiones (aliud enim tempus *à Quo* nullibi invenio) quæ quotannis ad idem Templum usq; modo continuari ſolent, omnium Collegiatarum & Parochialium in pretioſiſſimo apparatu Eccleſiaſtico, aſſiſtentium Cathedrali, quæ ſolenniſſimâ pompâ cum SS. Corporis Chriſti Sacramento, in Octava Feſti, ſac. locum viſitare conſuevit, veluti renovans anniverſariam illius primævæ Proceſſionis memoriam, quando de loco palluſtri, illuſtre Cæli ignibus, levatum eſt SS. Euchariſtiæ Sacramentum. Auxêre cum tempore piam conſuetudinem Religioſæ Familiæ, quæ ſibi certos dies per Octavas Feſti SS. Corporis Chriſti, viſitandi idem Templum, vendicarant, uti PP. Dominicani die Dominico de mane; PP. Auguſtiniani à prandijs, diverſiſſimis hominum & Matronarum ſtatibus, ſac. Domini Corpus comitantibus, & præcedentibus cum tympanis, tubis, & organis, cum canticis, & ſuaveſonantibus vocibus puellarum Choris. Civitas quoq; Florentia nunc vulgò dicta Clepardia, ex ſua Collegiata S. Floriani, inuſitato alias, in Polonia & ſuperbiſſimo ritu, ſuam expediebat ad locum miraculi Proceſſionem; nam præter varios hominum Ordines Euchariſticum Dominum, pedes, comitantium, inſignis cavalcata equitantium cum vexillo ſignato effigie D. Floriani Martyris, magnificentiam & majeſtatem addebat ſacro comitatui. Sed hæc omnia quoad nunc deſierunt celebrari, ob nimiam loci diſtantiam, cæterasq; internas rationes, quæ tamen hucusq; non impediunt viciniores Regulares, ad continuandam piam conſuetudinem, Dominicâ infra Octavas Corporis Chriſti, & ad aſſiſtendum Proceſſioni Noſtræ ipſo Feſto per circuitum Civitatis Caſimirien. juxta ordinationem Radzivilianam, in viſitatione Apoſtolica Generali, de anno 1596. & Conſiſtoriale decretum Cracovienſe de anno 1663.

XCIX. Porrò Eccleſia inchoata, per annos *ſeptuaginta plus ultra*, ut vult Joannes Dlugoſz Lib. de Monaſt. Diœceſ. Crac. ſub regimine Parochi ſæcularis, manſit, usq; dum Jagello I. nomine *Vladislaus II.* tot prodigiorum patrator. (Ille enim totam Lituaniam ad Fidem Catholicam convertit, meritò Litvanorum Apoſtolus, nuncupandus: Ille tot Idolorum Fanis everſis, multò plura Templa veri Dei cultui, erexit: Almam Univerſitatem Cracovien. à fundamentis excitavit, mo-

tus pijssima SS. suæ Consortis, B. Heduigis intentione, quæ ut dicit Martinus Cromerus Episc. Varmien. in hist. Polonor. lib. 15. in fin. *Hedvigis quidquid habuit reliquum de supellectili, partim egenis dilargiendum, partim ad excitandam Cracoviæ, et consummādam Casimiriæ Academiam, quam Casimirus M.* cujus erat neptis, Ludovici Regis Ungariæ Filia, *Casimiriæ inchoaverat, legavit, nuncupatis Executoribus ultimæ voluntatis suæ, Petro Episcopo, et Ioanne Tencinio, Castellano Cracoviensi.* Ubi etiam illius opinionem sanctitatis, conclusione citati libri, taliter celebrat: *Feruntur autem ob sanctitatem ejus miracula quædam ad tumulum ejus, fuisse edita*) *singularem devotionem gerens ad Religionem S. Augustini Canonicorum Regularium, ex Monasterio Glacensi apud Oppidum Kloczko, quod est in Metis Silesiæ et Bohemiæ situm,* Dioecesis Pragensis, *primos Fratres ad regendum Monasterium novæ erectionis,* juxta obloquentiam citati Joannis Dlugosz ad annum 1405. asportari curavit, *et in crastino Annuntiationis B. Mariæ,* solenni ritu & verè Regiâ pompâ *per Petrum Wysch Episcopum Cracoviensem,* Virum Religiosissimum & Sanctissimum introduxit, inter primas gratias Jure Patronatûs Nostris oblato, & ad perpetuam rei memoriam Alexandri VI. Summi Pontificis diplomate, communito, & sic ex sæculari, Conventualis Parochia perfecta.

C. Ut autem Matricis Nostræ scilicet Conventus Glacensis, memoriam profundiùs veneremur, *Notandum est* ex Chageco Presbytero Historico Regni Bohemiæ fol. 309. quod dum *Ioannes IV.* 27. & ultimus Pragensis Episcopus, multis affectus injurijs à suo Metropolitano, ArchiEpiscopo Moguntino, aliquoties conquestus fuisset Sedi Apostolicæ, adire tandem Romam coactus est, ubi à Metropolitani Jurisdictione absolutus, redux in Patriam, Papiam divertit, & ex Canonia D. Petri in Cælo aureo (ubi Corpus D. Doctoris *Augustini* requiescit) aliquot Canonicos vitâ & doctrinâ præstantes, secum exportavit, collocandos & fundandos perpetuò in Oppido suæ Dioecesis, Rudnicensi, ad flumen Labe; quod & fecit, & larga manu dotavit Anno D. 1340. *Et hæc* inquit dictus Chronologus: *Prima fuit Canonia Regularis, et Mater omnium in Regno Bohemiæ, a qua origines suas sumpserunt*, prout & Matrix Nostra Glacensis, fundata ad Castrum Glacense, a Successore dicti Joannis Episcopi, *Ernesto* à Pardubicze, Primo ArchiEpiscopo Pragensi, adscitis Canonicis, partim ex dicta Papiensi Canonia, partim ex nova Colonia Rudnicensi ad illam Ecclesiam, quam ipsemet per se 22. Martij 1352. dedicavit, & diplomate Clementis VI. Papæ, communivit. | Floruit autem hæc Nostra avita Domus Glacensis, etiam in medijs hæreticæ pravitatis flammis, usq; ad Clementis VIII. tempora, dum occupata per quendam intrusum Præpositum, Ungarum, à Rudolpho Imperatore, Patribus Soc. JESU, judicet & indicet effectus, quâ viâ, quô modô, quo prætextu, cesserit. Nam & ipsi Patres non multò post ab hæreticis extrusi sunt, & Collegium cum Ecclesia eversa; præsaga distruptione lapidis sepulchralis S. ArchiEpiscopi Ernesti, Fundatoris, & per multos ante annos, desudantis. Hinc patet Plantam Nostræ Congregationis Cracoviensis per imme-

mediatam successionem de corpore D. P. Augustini pullulâsse: quòd ipsum firmat, magis extēsio & communicatio omnium Privilegiorum à Reverendissimo Athanasio Clappinio Placētino, Abbate Generali Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensium, per me exportata, de data 30. Augusti, 1694. In Canonia S. Augustini Placentiæ.

¶ II.

De processu & successu Conventualis Ecclesiæ SS. Corporis Christi, Canonicorum Regularium Lateranen. Casimiriæ ad Crac.

CI. Præfiguraverat vel ipso Nomine Fundator Casimirus, quàm mirus futurus esset successus prætactæ Ecclesiæ cum Conventu, ac admiranda origo fuit. Nam quòd excreverit in tantam molem & magnificentiam, quæ hodie cernitur, & deinde in Congregationem, merè per Nostros, non vacat prodigio. Conradus siquidem Alemanus J. U. D. Præpositus I. Conventus (vel exinde latis superq; commendabilis, quòd Regiæ fundationi & quidem in terra aliena præfici mereretur) nactus possessionem Ecclesiæ, immediatè manum admovit operi, & Ecclesiam in hac forma, quæ Regiâ munificentiâ digna cōnspicitur, initiavit, & multàs fabricas commoditati inhabitantium Patrum, de muro erexit; ut notat Joannes Długosz de Monast. Diœces. Crac. *Conradus Vir singulari devotione & Religione redolens, vitæ exemplaris assecutus scientiam, cùm post resignationem liberam Ioannis de Teczyn, ejusdem Ecclesiæ Corporis Christi ultimi & immediati Plebani, Ecclesiam ligneam offendisset* (veriùs tamen, ut constat ex citato Miechoviensi & traditione Seniorum Patrum, Sacristiam coctо latere muratam invenit, & minorem Chorum usq; ad fenestras, duodecim cubitorum in altum, protensum, quanquam non in hac, in qua est ad præsens forma; cætera omnia sylva lignorū fuit, superimposita muro, operâ Jaroslai I. Parochi ex piorum eleemosynis; siquidem Fundator eo anno vivere desijt, quo ædificare cæpit Ecclesiam) *eâ demolitâ, ex latere nobilem solatio pecuniario Regis & plebis adjutus, fabricare cæpit, quæ progressu dierum per Successores suos Ioannem, Gregorium, Gasparum, & Iacobum, incrementabatur et absoluta est. Fabricavit et Monasterium pulchrum ex latere cocto, in loco quo erat domus quondam Plebanalis, quod etiam per ipsos Successores accipiebat amplitudinem et incrementum, in quo et stubas, et cellas, et promptuaria, et popinam, et solaria, et librarias, et infirmarias, cæterasq; cænobij officinas, pulchro opere videmus excitatas.* Quorum omnium cōservationi, veterum more (qui in prima radicatione Monasteriorum Tutelares Sanctos assumebant) *D. Valentinum* Presbyterum Martyrem, *S. Ursulam* & sodales ejus, nec non Sanctam Christi Hospitam *Martham* piè præsignavit, quorum idcirco anniversariam diem sub ritu duplici celebrare nobis consuetum est. Verùm minora sunt ista.

CII. Multò majorem dictus Prælatus meretur commendationem, ex observantia regulari, quam secum in Regium Conventum invexit, & ejus seipsum præbebat exemplum, tam Patribus, (quos quinq;

omninò secum attulerat) quàm Fratribus, per quos novam coloniam plantaverat. *Peractâ Primâ* (prout habet Ioannes Molanus Lib. 1. de Canonicis Cap. 21.) *quotidie Conventum Capitularem celebrare consueverunt, in quo quisq;* (supposito quòd deliquerit) *sponte culpam fatebatur, veniam postulabat, Superiori se submittebat.* Quodsi fortè majus crimen aliquis committeret, per correctionis Capitulum seriùs & severiùs contra talem procedebatur. & ita verificabatur de illis, quod de alijs annotavit citatus Molanus: *Sicut autem fervente inter Canonicos majori charitate, exactior solet esse Regula, ita si ab ea exorbitaverant longè rigidior erat pœnitentia. Et veteres illi et venerandi Nostri Majores, longè pleniùs, quàm Nos, meditabantur Christianam vitam, perpetuam pœnitentiam, ut Concilium Trid. loquitur, Sess. 14. esse debere. ideò ipsi omni die sub finem Primæ Horæ Canonicæ, ad Conventum Capitularem ire solebant, ubi primò legebatur Martyrologium, 2dò memoriæ defunctorum, 3tiò unum Caput Regularum. Iis autem peractis in Capitulari Conventu, si quæ corrigenda erant, tractabatur. Cujus rei brevis mentio est in Concilij Moguntiani Statuto IX ubi inter alia legitur:* ut Canonici Clerici singulis diebus mane primò ad lectionem veniant & audiant quid eis imperetur. Victus illis Ordinarius, nec quidquam obsonij aut potus in camera servare vel sumere illis licebat. Vestitus grossus, quia de panno, & Saracia de lino ordinario, absq; fimbrijs coronarum, quæ omnia de communi vestiario, sine discrimine accipiebant. Post prandium exactâ horâ, silentium usq; ad vesperas servabatur, nec cuipiam è cella egredi sine justa necessitate permissum erat, sed tunc ad legendum vel scribendum homilias, & alios sac. libros (quorum adhuc magna extat copia in Bibliotheca & Choro) loco operis manualis, obligati erant. Pecunias, quas vel ex eleemosynis piorum, vel suorum liberalitate habebãt, in communi depositorio asservabant; & inde cum licentia Superioris, quantùm necessitas exigebat, exportabant. Cellas pauperrimas absq; ullo ornamento, exceptis aliquot imaginibus propter excitationem fervoris ad devotionem, habebant; ad quas, imò nec in dormitorium quidem, aliquem admittebant. Et dùm communiter duodecim habitarent, tredecimum Christum ad mensam sibi associabant, scilicet pauperem aliquem & senem Presbyterum, cui primam portionem ipse Præpositus eligebat & porrigebat, alteram sibi accipiebat; communi enim portione contenti erant Præpositi, ut observare licet in particularibus Conventibus. Tantæ autem charitatis in Patres & in communitatem fidelitatis fuisse perhibetur Conradus, ut nil sine illorum consilio aggredi solitus esset, propterea benedixit DEUS principijs ejus, ut intra sexdecim annos, quibus vixit, tot & tanta perficere potuerit. Hâc famâ cùm niteret dictus Prælatus, facilè omnium in se animos convertit, & præsertim ipsius Episcopi *Petri Wysch*, qui dulci Fratrum Canonicorum conversatione oblectatus, lapideam, sitam in medio plateæ penes hortum Conventûs, quam ipse inhabitare consueverat, cum area & horto, perpetuò Monasterio adscripsit; Villam quoq; Swoszowice nuncupatam, dictus Ioannes de Tęczyn, simul cum Ecclesia cessit Conventui; alteram

Villam

VillamLiplas, Nobilis Petrus Szafraniec pro quotidiano sacrificio, dicto Ditrich, quod ex Germanico significat apertionem, scilicet devotionis, cujus usq; ad Nostra tempora janua & quasi quædam porta fuit, obtulit; ipse Conradus commodiori suorum Religiosorum sustentationi prospiciens, tertiam Villam vulgò Kámień a Nobili Petrasio & ejus consortibus, emptionis contractu acquisivit. Sic omnibus sanctè & laudabiliter dispositis Conradus, cùm intelligeret *tempus resolutionis suæ instare*, Sacramentis Ecclesiasticis munitus, vitam mortalem cum immortali commutavit, anno 1421. die 2 8bris. ut notat magnus Encomiastes illius Stephanus Ranothowicz, citatus infra *sub Num. CXL.* cumulatis per unionem spiritualem precibus & suffragijs, pro sua suorumq; Patrum salute, non modò cum Monasterijs sui Ordinis per Poloniam & Germaniam, verùm etiam cum Benedictinensibus, Augustinensibus, Cisterciensibus, cæterisq; diversissimis Religiosis, juxta claram satis obloquentiam Nostri com Professi Crac. Christophori Łoniewski ad calcem Regulæ S. Augustini citandi *sub Num. CXLV.*

CIII. Joannes Austriacus S. Th. in Academia Pragensi Doctor ex Priore d.cti Conventus II. Præpositus creatus. Qui Antecessoris sui vestigia haud segniter terens, plantatam hactenus disciplinam regularem diligentissimè custodivit, & ad eam conservandam & promovendam magis, à Petro Clareta Canonico Regulari Conventus Rudnicen. in Diœcesi Pragensi, Collectiones super statuta Canonicorum Reg. expostulavit. Devotionem in decantandis Horis & Missis Canonicis, pariter ac Votivis Virginis Deiparæ (sub cujus protectione tota per Orbem longè lateq; diffusa degit Lateranen. Familia) auxit. hinc est quòd ubiq; Horas Canonicas ab *Ave Maria* inchoamus. Idem bonus Prælatus ad stabiliendam perpetuò possessionem hujusmodi Conventus, Confirmationem super translatione Iuris Patronatus, & Ecclesiæ in Canonicos Regulares, à Martino V. Summo Pontifice exportavit, ut patet ex tenore executionis Literarum Apostolicarum, per Ioannem Decanum Cracoviensem. Præterea cæptas ab Antecessore fabricas ad perfectum deducere satagens, consumptus curis, non minùs ac senio confectus, ultimum clausit diem 12. Iulij 1428. Vix septem annis tenens regiminis præfecturam.

Gregorius Polonus III. Præpositus & Professus sæpefati Conventûs. Nec iste à primis duobus degeneravit virtute & solicitudine circa bona spiritualia, pariter ac terrena, augmentanda. Ille enim præter alia spiritualia Clenodia Imaginē Beatissimæ Virginis à S. Luca depictā, ut communiter creditur, à Præposito Rudnicensi, dum Hussitarum persecutionem cum thesauro illius Canoniæ declinaret, acquisivit, & laminis argenteis, deauratis, contexit, lapidibus pretiosis condecoravit, & Reliquijs Magnorum SS. illustriorem magis reddidit. Hæc Imago honoris causâ in thesauro Ecclesiæ inter Reliquias Sanctorum asservatur, & tantummodò in Festis solennioribus, ut plurimum per manus Prælati, cum Sacra acturus, Altare accedit, exponitur. Terribilis est dæmonibus propterea, si quando eos ab obsessis corporibus expelli in

Nostra Ecclesia contigerit, eam exponunt, coram qua millia millium fugari dæmonum, à Nobis non rarò compertum est. Idem dignissimus Præsul bonorum fortunæ augmentum notabile fecit, ex quo molendinorum sortes in arenis coemit, Regium Conventum Regiæ fortunæ septimanatim reddens participem. Ille etiam magnificentissimum Infirmarium de coctо latere erigi fecit, & altari consecrato reddidit laciatiùs, Noster verò B. Stanislaus Casimiritanus, sancta morte honorabile, & cælesti visione celebre magis effecit. Plura alia digna posterorum memoriâ & gratitudine, fecit & fecisset, nisi infestissima mors, undecimo sui Officij anno, scilicet 1439. die 21. Maij optimi conatus filum abrupisset.

CIV. *Gaspar* Polonus Professus ejusdem Canoniæ IV. Præpositus. In alijs par primis, ut mox patebit, in hoc superior fuit, quòd illius tempore sub anno 1451. Conventus Curosuacen. fundatus fuerit, & annexus Conventui Cracoviensi, initium Congregationi dederit. Triennio post scilicet anno 1454. Casimirus III. Poloniarum Rex, Divi Jagellonis Patris exemplum *secutus, propter affectionem singularem in Ordinem Canonicorum Regularium S. Augustini* (præsertim instante Ioanne Długosz S. Principis Casimiri, Inspectore, qui ut habet Author vitæ ejusdem Historici: *impetravit ab inclyto Rege Poloniæ Casimiro, ut liceret sibi inducere in Ecclesiam Parochialem S. Martini, abs se ædificatam, in agro Clobucensi Canonicos Regulares S. Augustini, quorum sanctimonia & religio in præcipua apud omnes existimatione habetur*) ex Paræcia sæculari Conventualem Nostri Ordinis fieri fecit, assumptis Canonicis Regularibus ex sæpefato Conventu Casimiriensi ad Crac. vulgò Cracoviensi. Quibus pariter ac Pater suus Cracoviensibus IusPatronatus donavit, & hoc ipsum per se authoritate Apostolica muniri procuravit, data Nostris Cracoviensibus potestate, pro prima vice tantùm, Præpositum eligendi. De cætero omnia jura & privilegia novis creaturis, ut factum erat in Cracoviensi Conventu, reservavit, cum libera dispositione singula peragendi absq; ulla in futurum dependentia ab eodem Conventu Cracoviensi, *eâ tamen disciplinâ* (ut habet Erectio illius Conventûs) *formâ, regula, modo, Ordine, & observantia, quibus Monasterium Corporis Christi in Casimiria regulatur et regitur, et in quo pulcherrima observantia refulget, et reducet.* Eodem solicitante Prælato per instantiam Sophiæ Poloniarum Reginæ, 4tæ Uxoris Uladislai Iagellonis, Templum ligneum S. Laurentij Casimiriæ, quod tunc sæcularium erat (ædificatum anno 1124. à Petro Dunin Comite in Skrzynno, sic dicto à Natione, fuit enim Danus, ut notat Ioannes Długosz Tom 1. ad annum immediatè citatum, cujus quanquam alienigenæ, quanta sit religio & in Poloniam pietas, inter cætera ejus magna encomia hæc habet: *Eo autem thesauro,* quod in Patria intuitu hæreditatis acceperat, *Petrus Danus qui processu temporis M. Palatinus et Comes Piotrek appellatus est, et septuaginta septem Ecclesias, de sectis ac dolatis lapidibus ignominiam Poloniæ, cùm tunc in ea infrequentes Ecclesiæ ex muro essent, detersurus, fabrefecit, et Monasteria duo etc.*) Conventui Casimiriensi SS. Corporis Christi incorporatum

est ab Eugenio IV. anno 1439. de quo extat Pontificium diploma in Archivo, & Libri Beneficiorum Conventus ejusdem attestantur, in hunc sensum: *Obijt Nicolaus de Pelzno Commensalis Noster quondam Plebanus S. Laurentij Capellæ, (cujus cooperatione & resignatione ipsa Capella incorporata est Ecclesiæ Nostræ, cum omnibus proventibus suis) anno 1448.* Et: *Obijt D. Ioannes de Libertow, qui pro incorporatione Capellæ S. Laurentij ad Ecclesiam Nostram resignavit Nobis IusPatronatus.* ex quo quidem pago Libertow, prout & altero Gay nuncupato, spectant Decimæ ad dictam D. Laurentij Ecclesiam, intuitu quarum à Paschate ad Festum omnium Sanctorum, tres Missæ septimanatim ibidem dici solent.

CV. In hoc quoq; felicissimus fuit dictus Præsul, quòd multorum Sanctorum & magnorum Virorum Pater extiterit, qui se suaq; voventes Divino famulatui, ipsius prælationi submiserunt, ut B. Stanislaus Casimiritanus, & alij, de quibus in Patrum catalogo habetur. Multùm quoq; probabile est, quòd illius temporibus D. Derslaus de Borzniow Archidiaconus Cracovien. cum semetipso, pecuniam pro Villa Krzyszkowice obtulerit, & Professionem in sæpefato Monasterio fecerit, quod inde conijcio, quia iste Prælatus in Concilio Basiliensi (si ritè dici potest Concilium relatè saltem ad articulos receptos, & approbatos per subsequentia Concilia) confirmationem Statutorum sui Conventus obtinuit, ad quod dictus D. Derslaus legationem suscepit, nisi fortè missus fuisset à Capitulo Cathedrali Cracov. quod certiùs videtur, alioqui cùm Derslaus in provecta ætate fuerit factus Religiosus, non poterat vivere à temporibus Gasparis ad tempora Andreæ Præpositi, sub quo fatis cessit anno 1499. die 25. 8bris. Sub hoc etiam Præsule quidam Medicus Regius, Mathias, donavit certa prata Conventui à suo nomine Matheyki dicta, quæ conterminant cum agris Villarum Zabłocie & Płaszow, ultra siliceos montes, cùm hac obligatione, ut die festo S. Pantaleonis Martyris, pro sua suæq; familiæ salute, dicatur unus Nocturnus Defunctorum cum Laudibus, & Collecta: *Deus veniæ largitor.* adjuncta post, cantata Antiphona: *Media vita.* cum versu: *Peccavimus Domine.* & Oratione: *Deus qui culpa offenderis.* qua die D. Præpositus juxta obloquentiam Inscriptionis, solet meliorare portionem Patribus, in vim laboris, & quidem cum pipere & croco, addita perna cum allio & vino bono, sicut in die Paschatis. His & alijs præclarè gestis, Gaspar obijt anno 1467. die 1. 10bris, cùm præfuisset Præpositturæ annis 28.

CVI. Iustis de more persolutis dignissimo Prælato Gaspari, subrogatus est *Iacobus Vadovius* V. Præpositus dicti Conventus. Qui Majorum vestigia impigrè secutus, totum se dedit continuandæ Basilicæ, in qua consummanda integro decennio indefessè laboravit, ipse vicissim laboribus consumptus anno 1477. die 27. 7bris. Ultra consummationem Ecclesiæ, Sacello Lauretanæ Virginis, de latere cocto, erecto, & in ejus apice, Campanili de lignis extructo, nec non 4tuor ultimis Altaribus factis consecrari. Hujus etiam tempore Conventus Crasnicen. anno 1468. fundatus est, & in eo (assumptis ex Conventu

Cracoviensi Patribus, & primo Præposito) ColoniaLateranensis plantata. Similiter sub tempus istius Præpositi anno scilicet 1478. memoratus toties Joannes Dlugosz, voluit eo loci, quem olim Casimirus M. Gymnasio destinaverat, & Academiam fabricare cœpit, Cœnobium pro Carthusiensibus erigere, verùm Casimirienses Incolæ non permiserunt, qui postea Judæis pulsis Cracoviâ, eandem misericordiam præstiterunt, anno 1492. quibus proinde idem Prælatus illudit in sua historia dicens: *Casimiritæ cùm nollent suscipere Religiosos, susceperunt Iudæos.* Qui à tempore transmigrationis suæ Casimiriam, solent dare Nostris Canonicis aromata, condiendis ferculis nata, velut quasdam Decimas, tribus vicibus in anno, intuitu fundi occupati, & diminuti census Ecclesiastici, conformiter ad Constitutiones Synodales Archidiæcesis Gnesnensis de anno 1561. sub Joanne Przerembski, & anno 1630. lib. 4. de Judæis, sub Joanne Węzyk, ubi sic habetur: *Item præcipimus ut Iudæi Sacerdoti Parochiali intra cujus Parochiæ terminos manserint, pro eo quòd loca, in quibus Christiani habitare deberent, occupant, juxta quantitatem damni, quod ei ex hoc inferunt, ad arbitrium Diœcesani loci, omnes proventus refundere compellantur.* Iidem Judæi Cantoribus sæpedictæ Collegiatæ Ecclesiæ SS. Corporis Christi, portaturas, quolibet anni quartuali solvere tenentur, eò quòd pro quodam excessu, jussi fuerint ab Officio libros Chorales portare in Processionibus, ut annotavit Hyacinthus Pruszcz de Ecclesia Cracoviensi.

CVII. *Andreas* VI. Præpositus ejusdem Conventus SS. Corporis Christi Casimiriæ ad Crac. Cui cùm præfuisset annis 25. multa quidem pro decore Domus Dei comparavit, & certum fundum in Villa Kamien Lipowa dictum, trans Vistulam emit, sed quoad spirituales dotes vix hanc unam peculiarem apud Connotatistas Nostros invenio, quòd fortè minùs aptum præ senectute ad regimen se advertens, Præposituram resignaverit: Cui suffectus est *Benedictus*, qui tamen non numeratur inter Præpositos, eò, quòd oborta certa quæstione de reformatione regulari inter Patres, paci privatæ consulens, sponte abdicaverit Præposituram, *cùm esset Pontifex anni unius*; insignivit nihilominùs illo anno suæ Præposituræ memoriam, stagno quodam magno elaborato in Villa Krzyszkowice, quod à suo Nomine Bienek appellari voluit, hinc ego primum remissum fuisse suspicor in observantia, timidum alterum. Prænuntiaverat hanc immutationem status optimi, obitus magnorum & Sanctorum Virorum, ut *B. Stanislai Casimiritani*, Venerabilium *Ioannis* de Leoblin & *Nicolai* de Biecz, nec non *D. Derslai* de Borzniow, qui sub Andrea Præposito decesserunt: per quod intelligi datur, quòd dùm magni Viri moriuntur, sua morte Communitati, quam deserunt, referent sepulchrum, prout nosmetipsi altero casu sub Manieccio, de quo infra, docti sumus; sub quo *Adamus* Sibovius & *Nicolaus* de Radomsko, obierunt. *Quos meritis claros signa beata probant.*

Sublato interim de terra viventium Andrea, anno 1505. die 12. Januarij, *Petrus* Provisor VII. Præpositus in ejus locum successit, qui ta-

lem se in Præpositura probavit, qualis in pagis degens vixerat. Et licet per patientiam Patrum nullam horum notitiam à Nostris Scriptoribus habuerimus, nihilominùs per commissionem Joannis Konarski Episcopi Crac. manifestata est ejus profusio in hospites, famulos equos &c. ideoq; parùm aberat, quin omnia dilapidasset Conventûs bona, per viginti unum, quibus vixit in Præpositura annos, nisi eorum conservationi fuisset provisum per dictum Episcopum, cujus ordinatione & imperio, reflexus in meliùs, *ad extremam horam veniens obdormivit in pace* anno reparatæ salutis 1526. die 25. Maij.

CVIII. *Ioannes Niczkonius* J.U.D. Casimiritan°, VIII. Præposit°, animadvertens sui Conventus subjecta deficere, & longè mutatum colorem optimum, literariæ virtuti promovendæ strenuam operam applicuit, dùm non tantùm suos Religiosos, sed aliorum Conventuum Canonicam juventutem omni humanitate excipiens, in Universitate Crac. perfectionari & perfici in studijs curavit. Scholam Parochialem ex platea lanificum, nunc Iudæorum, pro majori commodo Ecclesiæ & puerorum, in cæmeterium transtulit, Bibliothecam Conventûs libris cumulavit &c. hinc se vel maximè Doctorem & doctum ritè probavit. Sic suis Fratribus per decem & octo annos serviens, alteri per obitum cessit anno 1544. Stante regimine hujus Præpositi Tertiariæ S. Francisci vulgò Kletki dictæ, juxta traditionem in manuscriptis antiquis, sedem fixerunt Casimiriæ, anno 1551. in lapidea aciali, penes hortum Conventûs, versus S. Laurentium, ubi etiam foris signa patent quoad præsens, distinctarum camerarum per fenestrellas. Erant numero tredecim victitantes labore manuum suarum; quæ sicut à Minoritis (antequam fundarentur in suburbio Cracoviensi Stradomiæ) collocatæ sunt, ita de consensu loci Ordinarij anno 1593. per eosdem, translatæ Stradomiam.

Stanislaus Niedziela S. Th. Baccalaureus Casimiritanus, IX. ejusdem Canoniæ Præpositus, in restaurandis prædijs Villarum totus fuit, lapideas restauravit, pomarium quoq; seu hortum Conventus muro circumduxit &c. Et cùm vixisset in Præpositura annis triginta octo, supellectilem Ecclesiasticam notabilitèr auxit; Sacras Reliquias thecis argenteis inclusit. Et hoc vel maximè suum Nomen divulgare fecit, quòd dùm Campanile à Vadovio extructum, cum campanis exustum esset; ipse aliud reædificari fecit, & majores campanas fieri curavit, quarum majori vulgò Dziad, nomen suum imposuit, alteri vulgò Baba, Augustini Nomen dedit. Cùm autem senuisset & paulò remissior fact° fuisset, duo mala permisit illius tēpore fieri Dominus; Primùm: Conventus Curosuacen. pulsis Nostris Canonicis à Nicolao de Kurozwęki Castellano Siradiensi, hæretico, hærede, abscissus est à Conventu Cracovien. & Ministris Sectariorum gubernandus traditus, cum omnibus vasis & utensilibus Ecclesiæ &c. Alterum; quòd Petrus Myszkowski Episcopus Crac. Stanislaum Maniecki Diaconum, & Causarum Notarium (quem ex intentione promovendi in Coadjutorem, ad Novitiatum commendaverat) immediatè post Professio-

nem in Coadjutorem obtrudere voluit, cui cùm Patres totis quibus valebant viribus, contravenissent, diversis tandem artibus victi, consenserunt in eum, sub certis conditionibus juramento firmatis, & publico instrumento roboratis, anno 1582. die 7. 7bris. quo etiam anno Præpositus ipse *viam universæ carnis ingressus est.*

CIX. *Stanislaus Maniecki* J. U. D. ejusdem Canoniæ X. Præpositus. Initio suæ Prælaturæ fuit fervidissimus in Vinea Domini operarius, & acerrimus Iurium Ecclesiæ suæ propugnator. Etenim jurisdictioni suæ subjectos, sivè in Civitate sivè extra, potentissimè ab injuriosis vexis defendit. Molendinorum Regalium portionem Religiosos suos concernentem, à diripientibus illam, strenuè vindicavit, & super his Iurium confirmationem, Varsaviam profectus, in Comitijs Generalibus Regni, à RegeBathoræo obtinuit &c. Multi præterea illius authoritate, cōsilio, & opera in Cōmissionibus varijs usi sunt. Cujus activitatem & strenuum in rebus agēdis laborem animadvertens EpiscopusCrac. eumVicarium in spiritualibus & Officialem Generalem creavit, quo inOfficio per annos quatuordecim infatigabiliter se exercuit, & tamen (quod magìs cōmendat vivacitatem & solertiam) illo tēpore multas fabricas vel collabentes reparavit, vel novas excitavit. Ædiculam cum campanulis & omni alio ad celebrandum apparatu in Villa Kámień extrui curavit. Fenestram grandem super postes Ecclesiæ, seu in ejus facie, cum quanto sumptu aperuit, quisq; observans machinam, & plumbi ferriq; &c. perpendens quantitatem, facilè dijudicabit. per quod magnum lumen toti infudit Ecclesiæ. Et quod præstat omnibus alijs rectè factis, iste Prælatus Conventum Curosuacen. (qui ultra viginti annos in direptione hæreticorum extitit, ut paulò superiùs tactum) viriliter vindicavit, citatis Sectarijs ad Judicium Castrense in Vislica & in Civitate nova Corczyn. inde decreta exportavit ad Iudicium Tribunalitium Regni, quod de anno 1596. & anteriùs, Lublini, omnia præmissa approbavit, & insuper Innocentius VIII. Papa, per specialem Commissionem confirmavit. Conventum cum omnibus agris & attinentijs restitui, & pro spolio Ecclesiæ alijsq; injurijs & violentijs 25 millia florenorum adjudicavit dari pulsis Canonicis, qui vix 500 acceperunt mediante Frācisco Krasinski, Episcopo Crac. qui parti adversæ favere videbatur interim DD. hæredes in agris Conventus ex adverso arcis, Curiam sibi erexerunt, Conventui alios angustos inter plebis portiones assignarunt, pollicitis ditiores Canonicos non facto, facientes. His & similibus præclare gestis consummatis, dictus Præsul, proh dolor! quantùm à primo zelo religionis desciverit remississimus factus? ob idq; quanta detrimenta in observantia regulari, bonisq; temporalibus, quæ per suos Consanguineos Nobiles administraverat, Conventus incurrerit, charitas fraterna taciturnitatis involucro contegere suadet. Sat est ad præsens innuere, quòd qui aliorum ob summam in agendis dexteritatem & prudentiam, Commissarium egerat, ipse commissionem subire anno 1596. & alteram sequenti anno, coactus fuerit. Cætera lamento Ieremiæ (ut qui po-

potest capere capiat, mala gentis Nostræ) concludere liceat: *Quomodo obscuratum est aurum? mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij, & qui nutriebantur in croceis amplexati sunt stercora &c.*

CX. Tactus tandem paralysi Manieccius anno 1605. alijsq; infirmitatibus vexatus, lecto affigi debuit, interim ad Præposituram Cracovien. eâdem viâ aditum sibi parabat quidam Paulus Lyckonius Præpositus Curosuacen. quâ Manieccius illam possederat, & ad hunc effectum *de mammona iniquitatis*, multos sibi procurabat amicos, Communitatis bona dissipando, per quos tantùm effecit apud Loci Ordinarium Petrum Tylicki, ut illum in Coadjutorem intruserit, & propter illum multis gravaminibus Patres, quòd eum acceptare noluerint, afflixerit. Qui nihilominùs minùs proprias injurias sentientes, ex amore liberæ electionis conservandæ, imperterriti fulminibus Loci Ordinarij, Adamum Sibovium Priorem, notæ probitatis & prudentiæ Virum expediverunt Romam, qui, Generalis Abbatis Canonicorum Lateranen. fretus auxilio, pro cognitione causæ in Nuntiatura Apostolica, Breve Commissionis inde exportavit, cum eoq; redijt Cracoviam; quod dùm resciviſſet prætensus Coadjutor, Sanctum Virum impius ad Monasterium admittere noluit, adeòq; Cracoviæ in platea S. Joannis usq; ad causæ decisionem manere coactus est: verùm antequam expectatum finem causæ obaudiret, contracto morbo ex longo, & difficili itinere (quòd fertur pedes absolvisse, ex devotione an defectu debiti subsidij?) morte præventus in die SS. Innocentum, innocentem animam reddidit Cælo, quod documentaliter patebit inferius. Expost Nuntius Apostolicus intrusum Coadjutorem sententiâ definitivâ condemnavit, se injuriosè ingessisse in administrationem Præposituræ Crac. declaravit, adeòq; illâ, factâ priùs calculatione ex proventibus, cedere mandavit anno 1608. & Sanctum Viri Dei cadaver, ad locum Professionis suæ, solenni ritu scilicet processionaliter ab omnibus Religionum Ordinibus deduci voluit. sicq; malitiosus homo, quòd non potuit honori innocentis animæ obsequio, profuit odio. Audito Decreto dejectus Pater, multa alia tentavit & attentavit contra communitatem sub tuitione appellationis per suum acerrimum Promotorem Episcopum, sed nil effecit, nec multò post justissimas suæ ambitionis pœnas dedit; nam anno 1610. inprimis lento morbo vexari cæpit, deinde & decumbere à Festo SS. Philippi & Jacobi, tandem aggravari infirmitate, ultimò confici necesse habuit die 8. 9bris, quem anno sequenti, scilicet 1611. secutus est ad monumentum ipse coadjutus Manieccius, die 2. 10bris, exactis in Præpositura 29. annis. sic terminata est miseræ ambitionis in utroq; scena.

CXI. *Martinus Kłocinski* J. U. D. XI. Præpositus dictæ Canoniæ. Hic non minùs feliciter rexit Ecclesiam, ac mirabiliter ad ejus regimen assumptus est. Cùm enim Patres vel non cernerent inter se idoneum, vel nollent in suum consentire Professum, quem in Superiorem eligerent, sponte liberâ adierunt Episcopum Crac. Petrum Tylicki, suum

quondam adversarium, quid facto opus haberent? impetraturi Consilium. Qui tactus saniori mente interiùs, illatas antecedenter injurias & injustas vexas, in optima forma illis compensare instituit. Quapropter haud ignarus dispositionis ad vitam regularem, in Martino Kłocinski limatissimi ingenij & integerrimæ vitæ Presbytero sæculari, Eminentissimorum Georgij Radzivili & Bernardi Maciejowski Episcoporum Crac. Curiæ Actuario, nec non Francisci Simonetæ Nuntij Apostolici Auditore, Biecensi & Chovienſi Præposito, Scalmieriensi Canonico, qui jam pro tunc resignatis omnibus beneficijs Romam pergere habuit in animo, & ibi seipsum Ordini Carmelitarum Discalceatorum mancipare determinavit; proposuit illis sensum suum, ut si fortè illis placeret adirent illum, & rogarent quatenùs intentionis suæ consilium mutare vellet, & eorum curam simul cum Prælatura non dedignaretur acceptare. Inito consilio Patres in suo Capitulo, fecerunt juxta sanum propositum Episcopi, & quia renitentem experti sunt, instarunt ad Episcopum ut se pro eis interponeret, quod & factum. Excusabat se incapacitate ad hoc munus bonus Prælatus planè cum lachrymis, sed simul considerans *altitudinem Consilij Divini super salute generis humani*, præsertim instante Episcopo, Patrum postulationi acquievit. Itaq; anno 1612. Sabbato ante Dominicam Quinquagesimæ, ad Ecclesiam sæpè dictam SS. Corporis Christi solenniter introductus, postea regularem vestem induit, non tamen nisi sexto post introductionem anno, Professionem Canonicam fecit die 26. 9bris. Multa & magna pro decore Domus Dei, pro observantia regularis disciplinæ, pro commoditate Patrum fecit, & planè miracula excitavit. Nam imprimis collapsam ex parte saltem, si non ex toto, disciplinam regularem restauravit, subjecta auxit, & ad eorum culturam in doctrina & spiritu, Lectores duos, scilicet pro junioribus Philosophiæ, pro alijs Theologiæ moralis, instituit. Confraternitatem sq; Vulnerum Christi D. primo post introductionem suam anno, scilicet 1613. Romæ impetravit, & alteram SS. Corporis Christi initio Ecclesiæ introductam quidem, sed cum tempore, crescente ad Imaginem Beatissimæ Virginis (de qua inferius *sub Num. CXLVII.*) gratijs celebris, in Capella Literatorum devotione, defervescentem excitavit, non tamen cum ea solennitate expositionum & processionum cum SS. Eucharistiæ Sacramento in Mõstratorio per cæmeterium, prout alias quolibet die Jovis, fieri consueverat in memoriam recitati miraculi *sub Num. XCVII.* nunc enim in pyxide tantummodo *recolitur memoria* Facti ejusmodi. Cùm autem Orbem Polonum longè lateq; permearet fama Conventus illius, quoad regularem observantiam, & numerus Fratrum augeretur, multi è Proceribus Lituanis præsertim, sanctæ conversationis illorum famâ permoti, nec non authoritate tanti Prælati (creatus enim erat Judex Synodalis, cui etiam statuta Synodalia Diœcesis Crac. conscribenda, demandata fuerunt, & illius opera & dexteritate in consilijs & Commissionibus Petrus Gembicki Episcopus Crac. usus fuerat,
eumq;

eumq; perpetuum Visitatorem diversi Ordinis Monialium creaverat, & cum illo binis vicibus præfuit Capitulo Generali Miechoviensi Canonicorum Regularium SS. Sepulchri Christi, prout annotavit ex illorum Ordine Samuel Nakielski in sua Miechovia ad annum 1637. & sequ. Præterea in certis negotijs Camaldulensium in monte argenteo, nec non in causa Beatificationis Vincentij Kadłubkonij Episcopi Crac. & Joannis Cantij, Româ destinatus fuit Commissarius) multas fundationes & quidem bene provisas, ei obtulerunt, ut in *Krzemienicá*, *Bychow*, *Glebokie*, *Vilnæ*, de quibus suo loco legens informabitur. Multi præterea Conventus ejus tempore in Regno Poloniæ accesserunt, ut *Crasnicen*. *Voluranen*. *Suchen*. cui etiam adjuncta est Parochia *Krzessovien*. operâ & studio Illustrissimi Fundatoris Petri Kumorowski 1623. Et sic Conventus, qui per multos casus attritus, vix non extinctus fuit, in Caput Congregationis Cracovien. assurrexit.

CXII. Multa insuper ipse & ingentia ædificia radicitus excitavit, vel excitata jam reædificavit. Et inprimis Templum D. Laurentij Levitæ, quod à prima fundatione ligneum erat, de latere cocto in hanc formam, in quâ modò cernitur, exædificavit, & cum tribus altaribus anno 1642. die 16. 9bris. incidente in Dominicam 23. post Pentecosten, ab Illustrissimo Thoma Oborski Suffraganeo Crac. consecrari curavit, illudq; muro alto, disllimitâte adjacentes Judæos, discriminavit. Jam verò ipsam Conventalem Ecclesiam SS. Corporis Christi elevatâ in altum protenso muro à medio usq; ad hanc summitatem in qua est, turri, & stanneis laminis tecta, exornavit, nec non tribus porticibus muratis, & similiter stanneis laminis tectis, tres portas Ecclesiæ magnificentiores, reddidit. Vastissimum Cæmeterium non infrequens spatiante populo, & populis arborum, ac nullibi in illa Metropoli, amænissimè consitum, muro circumduxit. Sacra Pignora vulgò Reliquias D. Nostri comProfessoris *Stanislai Casimiritani*, in nobiliorem & ampliorem locum, adaptato magnifico de petra cum statuis Mausolæo in majori Choro, anno 1635. transtulit. Oratorium pro decantandis Horis Canonicis, egregijs nobilitatum picturis, fornice, pavimento & contentis, in illo donavit. Sepulturam pro Præpositis, aliasq; plures fornices pro humandis cadaveribus mortuorum, extrui fecit. Majus Altare quanto sumptu erexerit, ipsa magnificentia ad oculum unicuiq; demonstrat, mutæ statuæ loquuntur, picturæ pretiosæ manu & auro, testificantur, cui etiam marmore stratum pavimentum, magnum cultum addidit. Erexit prætcrea alia 4tuor altaria collateralia, satis magnifica in majori Choro, & alia duodecim anno 1642. die 9. 9bris consecrari curavit. Scamna augustissimæ formæ, figuris & picturis pulcherrimis cum Odeis ex utraq; parte minoris Chori insignita, excitavit. Septa Monasterij sublatis ligneis structuris, de muro firmissimo circûcirca stabiliri fecit, & in superiori contignatione pro Fratribus cameras, inferiùs pro familia habitacula, & diversas officinas distinxit. Porticum magnam ante Refectorium vulgò Palatium dictum, concamcravit, & alia multa ædifi-

cia extra Monasterium, tam in Civitate quàm in villis cæterisq; locis excitavit. Prædia vel collabentia restauravit, vel nova creavit, illorumq; Oeconomiam ordinatissimè disposuit, & incolas multiplicavit &c. In suburbio Crac. in Arenis nuncupato Molendinum Regium reædificavit, & domos ibidem supra flumen Rudava dictum, ubi nunc est antemurale, fieri fecit, easq; à circumfluente aqua Venetias appellari voluit. Insuper thesaurum Ecclesiæ & Monasterij, notabilissimè cumulavit & ditavit; nam infinita planè apparamenta Ecclesiastica, & quidem pretiosissima diversi coloris, nec non peristromata, tapetia magna Cairica, Persica, Divanica, plus quam ad decem cubitos protensa, ad ornandos Ecclesiæ parietes comparavit. Missalia nova diverso holoserico tecta, & laminis argenteis deauratis convestita, procuravit. Calices Ecclesiasticos auxit, & unum ex puro auro cum Patena, similiter & Delatorium vulgo Monstratorium ex puro auro confici fecit. Cimborium pro servando SS. Sacramento Eucharistiæ (sublato veteri de lapide secto, quod sola altitudine & magnificentia majoris Altaris obscurabat Majestatem) ex argento marcarum 360. comparavit. Candelabra argentea magna sex, cum Cruce majoris Altaris, & aliam Crucem altam portatilem in Processionibus pariter argenteam, erigi mandavit.

CXII. Innumerabilia sunt, quæ Prælatus iste donavit & fecit, pro hujus Conventus emolumento & ornamento, ut sit mirùm, quid habuerit ante dictus Conventus? cùm omnia quæ usq; ad hæc tempora nitent, & communi usui famulantur, illius opera charitatis admirentur: & tamen tantæ humilitatis fuisse perhibetur, ut dùm se minùs aptum ad agendum cerneret, soleas Fratribus, proprijs manibus parare consueverit; tantæ modestiæ, ut ab omni ostentatione sæculi & servorum satellitio abhorruerit; tantæ mortificationis, ut ferijs *2dis*, *4tis*, & *6tis*, nihil prorsus gustaverit. Ultimò, ne ejusmodi Conventus ad similes tricas ut hactenus visum eveniret, primus sibi Coadjutorem cum futura successione ex consensu Capituli constituit; & ab Apostolica Sede confirmationem obtinuit, sicq; libertatis pretium in eligendo Superiore Generali, quam omnes Monachi & Canonici in Polonia perdiderunt, usq; modò conservatur. Quæ omnia grata mente recolendo posteritas anniversariam obitus sui diem, solenni ritu pro anima sua in Capitulo Generali anni 1647. Sess. 3. celebrare decrevit, & inter omnes Prælatos ejus effigiem depictam in cornicis basi hâc epigraphe condecoravit: *Plus quàm Fundator iste.* In uno latere cornicis: *Religiosas virtutes radicavit.* In altero: *Pretiosa quæq; nobis donavit.* In summitate: *Subjecta auxit.* Et insuper 4000. Ungaricalium post mortem reliquit, quæ secuta est anno 1644. die 8. Februarij; jam verò ætatis suæ anno 82. cùm præfuisset Præposituræ annos 33. paralysi tactus quatuor mensibus ante, in Festo S. Michaelis Archangeli.

CXIV. Ne verò alicui alienum à fide videretur, quod annotavi de hoc Prælato, allego propterea externum testimonium Samuelis Nakiel-

kielski S. Th. D. Præpositi S. Heduigis ad Pontem Regium, qui in sua Miechovia, fermè omnia supradicta tetigit, immo complexus est, sub eo ipso anno 1644. his verbis: *Brevi post intervallo, eodem anno, die 8. Febr. qui fuit D. Romualdo Sacer, evocatus est ex hoc terrestri domicilio ad sedes beatas (uti piè credi debet) A. R. D. Martinus Kloczynski Canonicorum Regularium S. Salvatoris Lateranensis, Conventus & Ecclesiæ SS. Corporis Christi Præpositus. Cujus virtutis decus, mentis præstantiam, pia ac sancta opera, nemo satis ut puto deprædicare posset. Nam præter strictam vitæ rationem, quam ille ex quo Religionem sanctam in se assumpsit, perpetuò coluit, 4tor diebus per unamquamq; 7ptimanam, corpus suum abstinentia cibi, ac potus macerando, assiduè jejunabat. Cùmq; singulari juris scientia polleret, complures qui ad se confugiebant, in dirimendis sopiendisq; controversiis consilio suo juvit; egenis ac calamitosis, omnibus præsidio destitutis subvenit, atq; illis frequenter plurimum solatij, immo & subsidij attulit. Consopiebat ille tumultus & dissidia Religiosorum, quæ in magnum Religionis illorum damnum erant evasura, resarcivit laceratam Civium ac Fratrum suorum concordiam, omniaq; reddidit tranquilla & pacifica. B. Stanislao Casimiritano conCanonito suo, perpetuam memoriam in Ecclesia SS. Corporis Christi (cui ut dictum est multis annis feliciter præfuit) reliquit, dum ejus sac. cineribus in apertiorem locum translatis, monumentum e marmore, & lapide dolato præstanti, ac sumptuosa opera, construxit. Altaria auro argẽtoq; onusta, Ciboriũ ad dignè conservandum Divinissimum Sacramentum, ex puro argento, ad miraculum omnium qui hoc contemplantur, aliquot millibus nummûm: Exedras quoq; in minori Choro constitutas, artificioso opere constructas erexit. Delatorium Ven. Sacramenti ex puro auro, Candelabra item argentea, apparamenta pretiosa diversi coloris ad usum ministerij Ecclesiastici, & aliam plurimam supellectilem pretiosam, pro decenti cultu Ecclesiæ, comparavit. Nec commemoro (nam id longum esset recensere) in suo nobilissimo Conventu, operosa per ipsum erecta Palatia, magnis sumptibus extructas Porticus, ambulacra pilis affabre facta sustentatis, & alia pleraq; exquisito cultu, profuso sumptu, ad majorem Dei gloriam confecta, usibusq; Fratrum destinata, cùm ipse ab omni luxu, fastu, ambitione, servorum strepitu, aliaq; mundana ostentatione fuerit remotus. Sepultus est honorificè in sua Ecclesia magno Cleri ac plebis concursu, 7ptimo ab obitu die, videlicet feria 2da post Dominicam primam Quadragesimæ.* Et superiùs ad annum 1346. B. Stanislai Casimiritani memoriam faciens, sic eundem commendat. *Præfuit illi Monasterio cum munere Præpositi A. R. D. Kloczynski I. V. D. Vir si quis unquam alius in exornando hoc Monasterio solertissimus, religione verò humanitate & rerum gerendarum prudentia ita cumulate ornatus, ut suæ curæ ac regimini, pleraq; alia diversarum Religionum Claustra, sint ab ipsis Episcopis demandata. Ex cujus Viri vitæ integritate, doctrina, & innata modestia, plurimum splendoris ac ornamenti, non tantùm illi Monasterio, sed universo penè Ordini accessisse, nemo est qui non videat. Utinam reliqui Monasteriorum Præfecti, suo exemplo provocati in promovendis proprijs Ecclesiis, pari studio & facultate allaborent.*

CXV. *Hyacinthus Liberius* S.Th.D. Casimiritanus XII. sæpè dicti Conventûs Præpositus. Natus Religiosus ad honorem; nam visa capacitate ejus, Superior, immediatè post Professionem, Academiæ Cracoviensi pro studio Philosophico eum consignavit, ubi in Collegio

Majori inter Viros omni scientiarum genere excultos manens, ad tantam perfectionem in hac facultate pervenit, ut mox primâ Laureâ, & deinde Magisterio insigniri meruerit. Expost Romam missus pro studio Theologico, & ibi Doctoratu Theologiæ insignitus, in patriam remeans Mediolani substitit, ubi in spectatissimo Conventu sui Ordinis B. Mariæ Passionis nuncupato, tribus annis Philosophiam legit. Reversus domum suæ Professionis, Concionator Ordinarius & Lector Philosophiæ, nec non Magister Noviciorum creatus est, expost à Carolo Ferdinando Principe Poloniæ, Abbate Administratore Czervenecen. Canonicorum Reg. Lat. postulatus, alios tres annos in lectura Philosophiæ & Prædicatione Verbi Dei, ibidem consumpsit. Tandem inde revocatus, in Coadjutorem omnium votis 1640. die 4. 1obris electus est; qua dignitate suscepta haud segnior Coadjuto Successor, regularem disciplinam more Antecessoris sui egregiè promovit, omnibus affabilis & etiamnum Episcopis Cracoviensibus, Petro Gembicki, & Andreæ Trzebicki admodum charus, quorum uterq; magnas dotes Prælati ponderantes, eum Generalem Visitatorem Monialium diversi Ordinis, creaverunt, & in gravioribus Ecclesiarum negotijs, Commissarium præfecerunt. Ultimus horum auxit honorem dum illum ambulatorio Officio Censoris Librorum, in sua Diœcesi perpetuò insignivit.

CXVI. Idem Prælatus etiam in alijs omnibus ne quidem latum unguem à vestigijs Prædecessoris sui recedens, multa paramenta Ecclesiastica, nec non supellectilem argenteam notabilissimè coacervavit. Capellam B. MARIÆ, demolita priori (cujus usus antequam consummaretur structura Ecclesiæ, antiquior erat, de quo inferius *sub Num. CXLVII.*) pro commoditate Confraternitatis Literatorum sub titulo Annuntiationis Deiparæ, ex secto lapide extrui fecit, illamq; desuper laminis æreis contexit, introrsum egregijs picturis & figuris decoravit; & alteram Capellam vulgò Ogrodziec orantis Christi in horto erigi, & cancellis ferreis circumduci, curavit. Organa 25. vocum, & duo Altaria ante Consules & Scabinos, nec non scamna uniformia per totam Ecclesiam dejectis prioribus, utpote differentissimis & difformibus, fieri fecit. Et ne periret sui Prædecessoris memoria, antepagmenta portæ ad Sacrarium, congruo epitaphio desuper cum ejus effigie exornavit, quod adhibito debito encomio laborum & meritorum suorum, posteritati legendum exposuit. Portam Monasterij ex lapide dolato erigi, & super portam cameram nobilem pro Priore, extrui mandavit, nec non residuum lignearum habitationum intra septa murata ab Antecessore suo, à parte Cæmeterij dejecit, & in Cameras latere cocto distinxit. Domos, & lapideas, in Civitate & extra multiplicavit, & per hoc proventûs & census augmentum fecit. Præterea peréni memoriæ sui laboris & cõmuni suorũ famæ consulens, tres Tomos Concionum, scilicet unum de Salvatore, duos de Domina Nostra, typis mandavit. Tantæ autem pietatis in subditos fuit, ut eis sublevandis 15000. florenorum Polonicalium expenderit, & ne

& ne post fata aliquid molestiæ paterentur, Coadjutorem suum electum (ãno 1666. die 18. Maij) multis sermonibus ad pietatẽ super illos obtestatus est, ipse 7ptimo, post, anno scilicet 1673. diuturno cõsumptus morbo ultimã clausit diem 23. 8bris. Hic iterum etiam post fata reviviscit encomium M. Prælati Martini Kłoczynski *in Successore post se relicto insigni Viro*, ut prosequitur modò allegatus à Nobis Samuel Nakielski, *omni disciplinarum genere excultissimo, R. D. Hyacintho Liberio Casimiritano, S. Th. D. Cujus cùm jam antea vitam ac mores religiosos Divinis mysterijs addictos, præsertim in saluberrima Cælestis doctrinæ ad populum functione, optimè perspexisset, videns ab ipso statim Religionis ingressu, ingenuum ac bonæ indolis adolescentem, in quo elucebat vividæ erectæq; ac generosæ per omnia mentis indicium, primùm domi apprimè literis excultum, postea ad exteras Nationes nitidioris expoliendi ingenij gratiâ, proprio sumptu ablegavit, qui aliquando Ordini sancto usui & ornamento esset. Demùm bonis ut ajunt avibus ab exteris in Patriam reversum, adhuc superstes, Successorem nominavit, monens & adhortans, ut dignitati & honori, omnem solicitudinem religiosæ disciplinæ, & curæ domesticæ, reiq; familiaris conjunctam præfferret. Cujus ille votis ac monitionibus Paternis dignè per omnia respondens*, in regendi facultate non aberravit à pijssimo suo Manuductore.

CXVII. Victorinus Wereszczynski XIII. Præpositus ejusdem Canoniæ. Cui etiam præter Nobilitatis genus, rerum gerendarum experientiam, connaturalis speciei dignæ imperio præstantiam, & competentem scientiam, non defuere merita ad honorem Prælaturæ. Cùm enim calamitates diversæ ex occasione incursionis Sueticæ de anno 1655. totam præmerēt Poloniam; ipse pro innata virtute & prudentia, adversa omnia generoso pectore ferens, exulceratis rebus medelam adhibuit, & in absentia Prælati, qui se cum thesauro Ecclesiæ in Silesiam subduxerat, tam strenuè Oeconomatûs officium quà Coadjutor obivit, ut inter illud difficultatum chaos, jam altioris gradûs munus explevcrit dexterrimè. Postquam autem regiminis clavum obtinuerat à Religione, cæteras virtutes excolere, & in subjecto sibi populo radicare cæpit. Ille etenim per omnes Particulares Conventus Horas Canonicas, alioqui privatim ab unoquoq; dici solitas, in Oratorijs clara & distincta voce, cum pausa, ab omnibus simul, recitari præcepit, addito in fine uniuscujusq; horæ: *Sacrosanctæ* &c. Ille primus de manè quotidianum Meditationis cibum, usualem fecit. Illius etiam tempore Recollectiones seu exercitia spiritualia per octiduum practicari cæperunt. Ille præterea à primis duobus, nec latum unguem recedens, in omnibus observantiam regularem scrupulosè tenuit. Et licet in verbis rigidus videretur, pollebat nihilominùs insigni pietate in pauperes, & summa vitæ integritate. *Decorem Domus Dei* diligebat, quàm abundè in omnibus providebat, pariter & Fratrum necessitatibus paternè subveniebat. Apparatum Ecclesiasticum prout & supellectilem argenteam notabiliter auxit, & Ecclesiam vacillantem in fundamentis, secto lapide circumcirca obduxit & firmavit. Novitiatui locum primus designavit (priùs enim Fratres promiscuè cum Pa-

tribus cameras incolebant) & pro Novitijs cellulas multiplicavit, quibus separatis à Patribus, clausuram apposuit. Pro suo suorumq; Successorum majori commodo Cameras muratas in horto, dejectis ligneis erigi fecit, & symbolis alijsq; picturis exornavit. Bibliothecam ex novis & selectis Authoribus concinnatam, quæ vulgò Prælatialis vocatur, magnis sumptibus comparavit, præsertim in Jure utpotè studiosissimus Sac. Canonum Indagator & Observator, nec non acerrimus defensor Jurium Conventûs, & qui quod suum est unicuiq; reddere satagebat. Multa ædificia, in & extra Civitatem Casimirien. adauxit, plurima restauravit, *miseriam inopum, & pauperum* subditorum sublevando. Ejus temporibus Conventus Clobucen. authoritate ordinariâ in visitatione immembratus est Conventui SS. Corporis Christi Casimiriæ ad Crac. quem in vita sua dictus Prælatus, plus quàm annis 15. per suos Religiosos administravit, de quo paulò inferiùs. Tandem consumptus angoribus magis, quàm senio confectus, ut potè qui vix 66. attigit annum, obijt 1694. die 14. 9bris.

CXVIII. *D. Michael Mathias Rusiecki* S. Th. in Universitate Cracoviensi Doctor XIV. Præpositus ejusdem Collegij, similiter ut Antecedanei sui, ob præclara merita in Congregationem Cracovien. ad culmen honoris est evectus. Cùm enim in Studio Olomucensi Sac. literis apprimè fuisset instructus, reversus ad Domum Professionis, in utraq; Cathedra dexterrimè per aliquot annos laboravit. & eo ipso tempore cultum Divinum in Ecclesia DEI solicitè promovens, Confraternitates SS. Corporis Christi, 5q; Vulnerum Christi, & Annuntiatæ Virginis sub Tit. *Literatorum*, ordinatissimè restauravit, hoc præsertim unicè intendens, ut quemadmodum aliæ Religiones promovēt devotionem SS. Rosarij, Scapularis &c. sic Nostra Congregatio Crac. tutelam quasi ageret 5q; Vulnerum Christi, simili obsequio. Easdem ConFraternitates multa pretiosa supellectili per varios Benefactores exornari curavit, & ad eas promovēdas devotis animis subministrās spirituale pabulum, Librū intitulatum: *Tres Fontes*, notabiliter auctū affectuosissimis preculis, edidit; nec non pro quolibet mane cantandum à populo Officiolum aliquod, vel Coronulam de 5q; Christi Vulneribus, cum Primaria Missa, ipse primus disposuit. Absoluto studio Visitator Commissarius pro M. D. Lituaniæ electus, observantiam Regularem diligentissimè in vigore tenuit; tandem post triennium Præpositus Slonimen. Conventûs, creatus, multa bona illi loco per novennium in ædificijs alijsq; incrementis, non minùs spiritualibus ac temporalibus, præstitit, ipse velut *Luminare majus* in illa Provincia, famâ, honore, dexteritate, cæteris prælucens. Promotus deinde ad Metropolitani Conventus Regimen Vilnæ in Antocollo, nondum consummatum muro Monasterium, in Cameras & Officinas distinxit, & ex loco veteri, Patres illuc transportari curavit. Tandem in Coadjutorem Cracovien. Præposituræ assumptus, post 13. Menses vita functo Coadjuto, Prælatiale munus suscepit, quod integris 12. annis completissimè administravit, ita ut absoluta anniversaria suæ Ele-

ctio-

ctionis die quæ fuit 6. 8bris, anni 1693. 7ptima occubuerit, 1706. repentino mortis ictu scilicet trium dierum febri maligna extinctus. In Prælatura tantummodò partem Monasterij ad venustiorem formam redegit propter ingentes contributiones, & omnigenas calamitates Patriæ. Speculationi autem tantopere affectus fuit, ut velut natus ad Cathedram Doctor *usq; ad senectam & senium*, 72. cum esset annorum, semper cum summo plausu domi forisvè, in publicis disputationibus decertaret.

§ III.

De Conventibus Particularibus Canonicorum Regularium Lateranensium, Congregationis Cracoviensis.

CXIX. Antiquitas Congregationis Cracovien. haud postremum est ejus excellentiæ, inter cæteras commendationes argumentum. Vix namq; erexerat Caput anno 1405. non multò post in membra coalescere cæpit; siquidem post 46. annos ab erectione principalis Ecclesiæ in Conventualem, juxta dicta *sub Num XCIX.* Conventus Curosuacensis eidem Congregationi Crac. initium dedit. *Fundatus enim erat supra firmam petram* (quæ supereminet cuidam stagno vastissimo ad radicem Oppidi Kurozwęki nuncupati, ex adverso respiciens duas Aulas in planitie, muratam unam coævam Ecclesiæ, alteram ligneam, ab aliquot hinc annis extructam) à Petro de Kurozwęki Thesaurario Regni. Qui ut obloquitur Erectio illius Conventûs, *Ecclesiam sub cura unius tantùm Parochi sæcularis constitutam, volens pluribus Sacerdotibus doctrinâ & regulari observantia eximijs, exornare, Canonicis Regularibus Conventus Casimiriensis regendam commisit, anno 1451.* Et licet ejusmodi locum commodè providerit, nihilominùs propter vicissitudines, quas idem Conventus passus est à Sectarijs, ut tactum *sub Num. CVIII. in fin. & sequ.* quia non de toto restituti sunt ei fundi, & aliæ attinentiæ, idcirco his præsertim calamitosis temporibus, vix potest sustentare 7ptem Canonicos.

Tribus expost annis *Conventus Clobucensis* fundatus est in Oppido Kłobucko, pariter Diœcesis Crac. anno scilicet 1454. Qui licet novissimè de anno 1700. per sententiam Sac. Romanæ Rotæ, abscinderetur à Generali Conventu Crac. (ex quo Fundator illius, qui fuit Casimirus III. Rex Poloniarum, M. Jagellonis Fundatoris Cracoviensis Conventus, Filius, & Pater Divi Casimiri Confessoris, voluit eum esse sui juris, ac Pater suus Cracovien. Conventum) quia tamen primi Patres, ut tactum *sub Num. CIV.* fuerunt assumpti cum Præposito, ex sæpefato Conventu Crac. ad plantandam illam Coloniam, & cum tempore Jus visitandi in eos acquisierunt, ut liquet ex Instrumento authentico pro visitatione illius Conventus directo Hyacintho Liberio Generali Præposito, ab Illustrissimo Andrea Trzebicki Episcopo Crac. quod asservatur in Archivo Principalis Conventûs: præterea multoties per Nostros Cracovienses diversis temporibus (& quidem liberè datis sibi cervicibus) administrabatur. Ultimò de anno 1679.

reunitus eidem Cracoviensi Conventui, per decretum Loci Ordinarij in actu visitationis, viginti annis integris Jurisdictioni, Visitationi, quoad Caput electioni, quoad omnia, omnigenæ dispositioni Principalis Conventûs fuerat subjectus, & de quo adhuc sub Judice lis est; meritò proinde integrare videtur Congregationem Cracovien.

CXX. *Conventus Crasinicensis* ab Oppido Kraśnik dictus, similiter in Diœcesi Crac. fundatus à Joanne de Tęczyn, anno 1468. assumptis primo Præposito cum Patribus ex eodem Conventu Crac., & hoc circumscripto in Erectione, ut Conventus Crac. habeat Jus visitandi in illum Conventum, relicta illis libera electione Præpositi si haberent idoneum, juxta obloquentiam Fundatoris in dicta Erectione. quod si non? contrarium disponitur ibidem: *Si autem inter eos idoneum prô Rectore non haberent, ex tunc ad Patres suos ad Corpus Christi, tanquam ad suum nidulum unde originem traxerunt, ipsis Virum idoneum in ipsorum Prælatum postulare debent, &c.* Factum est circa annum 1630. quòd Præpositus illius loci fuerit delatus in quibusdam ad Loci Ordinarium Crac. Martinum Szyszkowski, & quòd ille Conventus non habuerit idoneam personam ad regimen Ecclesiasticum; proinde Episcopus jussit sibi afferri Erectionem, quâ visâ & ibidem deprehenso, quòd Prælatus Crac. habuerit potestatem visitandi illum Conventum, vocavit illum ad se, & de neglectu sui Officij monuit illum, & ut quantocyus se expediret ad illum visitandum mandavit pro tunc Martino Kłocinski, qui Superiorem illum uti ineptum & inhabilem dejecit, & suum Professum in Præposituram suffecit, pariter pro Concionatura in locum Minoritæ, quem alebant inter se, alterum Professum Cracoviensem substituit, & ab hinc usq; modò agglutinatus manet constanter Conventus ille, Conventui Cracoviensi.

CXXI. *Conventus Bychoviensis* primus in M. D. Lithuaniæ, veriùs in Russia Alba, versus Moschoviam Diœcesis Vilnensis, accessit Congregationi Cracoviensi anno 1619. Qui in hoc quoq; primatum tenet, quòd insignem Sago & toga Fundatorem habuerit, Illustrissimũ D. Carolum Chodkiewicz Palatinum Vilnen. Supremum Ducem M. D. Lituaniæ; qui amore Orthodoxæ Fidei ex consensu Regio ademptis certis possessionibus Schismaticis Kijoviensibus, qui in suis divitijs confidentes in perniciem animarum & Patriæ illis abutebantur, Canonicos Regulares ex Conventu Generali in Fortalitium Bychow introduxit, & tamdiu *protectionis suæ munimine* ibidem defendit, donec authoritate Joannis Casimiri Regis Poloniarum, inter dictos Canonicos & Disunitos, de prætactis possessionibus controversia finiretur. Quæ quia aliquamdiu duravit, ingeneraverat Patribus fastidium, ita ut in disceptationem in Capitulo Generali de anno 1628. sess. 5. veniret: *Virum Bychoviense Monasterium sit retinendum?* Major pars conclusit retinendum esse; potissima verò persuasit ratio ex fine victoriæ, cujus aliqualis spes affulgebat. Nec fefellit spes; Principem namq; locum penes arcem muratam, versus Boristhenem fluvium, in illo Fortalitio possederunt, amænissimum quidem ex Valle altissima, prospectu, sed

vacu-

vacuum decentibus structuris, quousq; cum tempore non erexerit muratam Domum pro Canonicis, D. Joannes Chrisostomus Borkowski Præpositus, circa annum 1640. quàm feliciter modernus D. Præpositus post conflagrationem ab oppugnatoribus Fortalitij, quæ accidit anno 1702. cum omnibus attinentijs restauravit & primum lapidem pro Ecclesia murata, hoc ipso quo scribo, anno, posuit.

CXXII. *Conventus Cremenecensis* similiter in M. D. Lituaniæ Diœcesis Vilnen. anno 1620. fundatus est ab Illustrissimo D. Nicolao Wolski Castellano Witebscensi. Locus quidem paulò remotus est ab hominum conversatione, & circumstantibus pagis, sed Nobilis residentiâ & dote dives, ita ut Ducatûs Nomen nancisci mereretur. Ad hunc etiam Conventum assumpti sunt Patres ex Cracoviensi Colonia, cum expressa in Erectione, nota, quæ illum affiliare decernit dicto Generali Cracovien. Conventui, & ab illo perpetuis temporibus vult dependere.

Conventus Suchevsis à Pago Sucha, sex milliaribus à Cracovia distante, vulgò nuncupatus, alioqui à Visitatione B. MARIÆ in Hebron dictus. Fundatus est anno 1624. ab Illustrissimo D. Petro Kumorowski Comite in Liptow & Orava, Capitaneo Oswiecimen. ex occasione agnitæ gratiæ à Nostro B. Stanislao Casimiritano, quam typis mandavi *in lib. vitæ ejusdem Beati. part. 2.* §. *192.* & est talis: venerat hic Dominus Cracoviam quærens medelam oculo sinistro, infirmo, qui ex nativa sibi sede ita elapsus est, ut illum fascia ligare necessum fuerit. primâ nocte Cracoviæ antequam daret opem inutili membro, somniavit se vidisse B. Stanislaum Casimiritanum in habitu suæ Religionis, hæc vel similia dicentem sibi per somnium: Si vis salvus esse surge & visita sepulchrum meum, & ibi invenies perfectiorem medelam, quam tibi Medici dare non possunt. Qui illico evigilans sensit levamen in oculo, & mane facto, deferri voluit ad designatum voto locum, ubi majorem expertus est sanitatis corroborationem. Finita devotione ad *Sanctum Domini*, contulit cum Præposito pro tunc magni Nominis Martino Kłocinski de Fundatione, quam extemplo incepit, & anno supradicto complevit. Porrò locus ille notissimæ venustatis est, inter montes quidem altissimos, sed amænissimos, gazis rusticanis & gregibus pecudum variegatos. Fluminum impetus ab utraq; parte lætificat illam Canoniam; Cæmeterium nativa planities & latitudo exornat, & in eo 7ptem Capellæ, in honorem 7ptem Divæ Matris Dei gaudiorum, debitâ symmetriâ dispositæ, majestatem addunt Ecclesiæ. Præterea amplissimū muratum Palatiū cum tot adjacentib9 ædificijs, in prospectu, amænitatem augēt Convētui, qui mediocriter pro sex Canonicis provisus est, annexâ eidē perpetuò Krzeszov. Parochia, unâ legâ distante à Monasterio, ad dicti Prælati instantiam.

CXXIII. Postero anno, hoc est 1625. Conventus Vilnensis in Antocollo (quod est Suburbij Nomen) initium sumpsit, prout indicat Polonico idiomate Inscriptio, incisa, in fundamentali ingentis magnitudinis petra Capellæ B. V. MARIÆ de Gratijs, quæ est talis: *DEO*

in SS. Trinitate Unico, Deiparæ Virgini MARIÆ, & S. Petro & Paulo Apostolis Tutelaribus hujus loci &c. sit laus & gloria. Hic lapis brevem exponit perennis memoriæ historiam: Tempore Paganorum fuit in hoc loco delubrum Deorum (Pantheon dictum, ut notat Strykowski historiographus M. D. Litv. lib. 11. Cap. 4. ad fin.) *quod sustulit Gastoldus Palatinus Vilnen. Nomine Petrus, & in honorem S. Petri Apostoli, ligneam extrui fecit Ecclesiam, quæ combusta est anno 1591. hinc per annos 15. deerat Ecclesia. Tandem anno 1609. R. Petrus* Korkonos Vicarius ad S. Joannem Vilnen, *iterum ex eleemosynis piorum*, pariter *ligneam extruxit ædiculam. Post ejus decessum introducti sunt Canonici Regulares per Illustrissimum Eustachium Wołłowicz Episcopum Vilnen. anno 1625. Anno verò 1668. die 29. Iunij, primum lapidem pro Ecclesia SS. Petri & Pauli Illustrissimus Alexander Sapieha Episcopus Vilnen. posuit, sub Clemente IX. Summo Pontifice, regnante Ioanne Casimiro Rege Poloniarum, murata tota à fundamentis, inpensis Illustrissimi Michaelis Pac Palatini Vilnen. Supremi Ducis Exercituum M. D. Litu. & nova dotatione provisa. Qui transis Lector, Fundatori istius Domus Dei sub limine ejus quiescenti, apud Dominum DEUM æternam mercedem precare.* Hæc Paræcia adeò tenuis proventûs erat, ut ne quidem duos Canonicos alere potuerit, ideoq; deserere eam voluerunt (præsertim frustrati spe fundationis, per obitum præmaturum dicti Episcopi Wołłowicz, qui eos providere & dotare decreverat in Instrumento Consensus sui in fundationem dicti Conventus) nisi illos Capitulum Generale celebratum Cracoviæ de anno 1628. Sess. 5. solidasset, imponens onus Monasterijs Bychoviensi & Cremenecen. ut eosdem, quousq; non providerentur ex alto, sustentarent.

CXXIV. *Respexit tandem Dominus Petrum lachrymantem*, hoc est illam Ecclesiam S. Petri stillicidijs patentem, & omni humano carentem subsidio, & mirabiliter misertus est paupertatis ipsius, in tantamq; evexit magnificentiam & temporalium sufficientiam, Conventumq; in gentem magnam & multam fecit, ut nisi de Jure (cujus in Manuscripto volumine meo, Sac. Rom. Rotæ Processum relinquo) dependeret à Conventu Generali Cracovien. vulgò Casimitiensi ad Crac. ipse posset Primas & Caput cæterorum Conventuum appellari. Incrementabatur autem, & quidem mirabiliter; nam cùm quadam die Illustrissimus Fundator Michael Pac. intrasset illam D. Petri ligneam ædiculam, & pertransiens advertisset in vestibulo, inter frustra lignorum, truncatam Crucifixi sine naso, sine manibus & pedibus, Imaginem, sensit illicò introrsum quendam compassionis affectum, quòd quæ antea passus est in corpore, nunc sustineat in sua figura. Proxima nocte somnians in adjacente Palatio ædiculæ illi, vidit eundem Crucifixum loquentem sibi hæc vel similia: *Non turbetur cor tuum, neq; formidet* (fuit enim tunc in tribulatione magna à tumultuante Exercitu) tu me exaltaturus es, & ego te vicissim exaltabo super inimicos tuos. Aderat tunc in illa ipsa Camera dormitans alter Dominus, familiaris suus qui ista secreta cuidam è Nostris Seniculo, (à quo egomet ipse audita habeo) revelavit Christophorus Białłozor M. D. Litu. Vexillifer, & S. R. M. Colonellus, ex quo quærens supremus

Dux

Dux dormiretne an nòn? cùm obaudiſſet non dormire, narravit illi omnia ex facto, quæ ſomnians vidit & audivit, & quidem *2do* & *3tio.* eâ ipſa nocte, quâ re manifeſtè monitus eſt quid illum DEUS facere velit? Ex tunc amplificandæ fundationis votum concepit, & manè facto Antocollen. Præpoſitum ad ſe accerſiri juſſit, illiq; pro cumulanda fabricæ materia, 70. millia florenorum Polonicalium, obtulit, obligans eundem ſecretò ne cuipiam diceret: Supremum Ducem Exercitûs, impenſas ejusmodi facere. Sed quia tam larga eleemoſyna diu latêre non potuit, eò præſertim, quòd omnibus notum fuerit pauperem eſſe illum locum (quanquam jam tunc habuerit ſibi applicatum unum pagum Jakientany nuncupatum, per diſpenſationem Capituli Generalis Cracoviæ celebrati, de quo inferius *ſub Num. CXXVIII.*) palam per ſe fundationem promovit, Epiſcopum Vilnen. pro tunc Alexandrum Sapieha, ad imponendum primum lapidem Eccleſiæ invitavit, Architectum ex Italia, quendam Frigdianum Lucenſem conduxit; Stucatores duos, Petrum, Perti Mediolanen. & Joannem Baptiſtam Galli Romanum, nec non Pictorem Martinum de Alto monte, cæterosq; Opifices ad Altare majus cryſtallinum fabrefiendum, non dubium quòd magnis impenſis advehi curavit, & excellentiſſimum vas, (velut quoddam Templum Dianæ, Orbis Lituanici miraculum, ita ut qui Vilnam veniunt admirari omnes cogantur,) fieri fecit, quanquam invidente eum Nobis Libitina, quoad multa *decorem Domus DEI* concernentia, vitâ cedens, non perfecit, ingenti mærore non dico Nobis, non dico Religioſis Ordinibus, qui omnes eleemoſynarij ejus erant, ſed omnibus omnino Ordinib⁹ M.D.Lituaniæ affectis, quæ amiſit ſingulare ſuum Decus & Præſidium; imò totius Reipublicæ Polonæ, quæ perdidit optimum Civem.

CXXV. Fuit hic Dynaſta de Nobiliſſima Familia Florentina de Pazzis, cognatus ipſis Cælitibus in Maria Magdalene de Pazzis, quam ille in memoriam ſuæ originis, inter omnes Imagines ſui Oratorij in Palatio Antocollenſi, pro Principali ſuper Altare ſemper habuit, & perpetuo cultu & cælibatu venerabatur; nos verò gratæ mentis gratiâ usq; modo ſanctè cuſtodimus. Multa præterea ſunt quæ hunc Magnatum Principem, canonizare poſſent; ſed ne videar indulgere adulationi, pro interim ſufficiat encomium, quòd ipſi in Libro Benefactorum defunctorum in hæc verba quondam appoſui: *Illuſtriſſimus D. Caſimirus Michael Pac Palatinus Vilnenſis Supremus Dux Exercituum M. D. L. pro Aris & Focis plusquam Alcides ſeipſum, & ſua non rarò expoſuit. Acerrimus juſtitiæ vindex, adeò militarem licentiam compoſuit, ut quemlibet ex profano Chriſti militem judicares. Ipſemet in vita religioſiſſimus, Religioſorum magnus amator, quos beneficâ manu irremiſſè recreabat; ad extremum pane lachrymarum 3tia Aprilis exſatiavit 1682. Vilnæ in Lituania. Quam velut alter Ionatas planctu magno replevit, ut meritò ipſi lemniſcum tale ſcripſerit Academia Vilnenſis:* Plangit Lituania Patrem. *Omnibus diuturnam, Nobis perennem memoriam reliquit, quando & exuvias Nobiliſſimi ſui corporis, in pignus amoris Nobis obtulit. & velut Dianæ Templum ſuper Petram Apoſtolicam extrui curavit.* Nec illud

videtur ineptum, quo honoravit illum appingens Imagini suæ Nostra Generalis Cracovien. Canonia: *Patria amorem*, *Hostes fortitudinem*, *Nos pietatem*, subintelligitur Ly deprædicamus. Porrò Antocollensis Basilica varijs abundat raritatibus, inter quas pro principali pono Imaginem S. MARIÆ de Gratijs, pulcherrimam & devotissimam, quæ singillatim utraq; manu sagittarum manipulos comminuit, & ideò æmulos terret, clientulos suos fovet, & multis prosequitur favoribus, probatissima Præservatrix pestilentium.

CXXVI. Ibidem æstimo Sanctorum insignes Reliquias & eas vel maximè, quas secum attulerat Româ Confraternitas 5q; vulnerum D. JESU, anno Jubilæi 1675. quæ sola velut unica phænix ex Ultramontanis, tunc aderat ibi, ideoq; maximo cultu in Porta Urbis vulgò *Del Popolo* dicta, ab ArchiConfraternitate S. Laurentij in Damaso, suscepta, & rectâ ad Vaticanum conducta, deinde ad certum Palatium pro respirio destinata, ubi per 15. dies omnigenâ commoditate provisa, multisvè gratijs & Reliquijs ab ipso Papa donata, remeavit ad propria. Extat hujus facti in dicta Antocollensi Ecclesia præter alia, monumentum, scilicet Vexillum quasi militare cum effigie D. Michaelis Archangeli, in favorem illustrissimi Fundatoris comparatum Romæ, de cujus religiosissima Aula, plures illam sanctam peregrinationem & companiam associati decorarunt. Quantum ad locum illius Conventûs, inter omnes Civitati Vilnensi adjacentes, amænissimus est, frondosos colliculos ex una, fluvium navigabilem Vilia dictum, ultra quem, planitiem distinctam raris ædificijs ex altera, in prospectu habens; tandem ex alia parte Civitas Vilnensis exhilarat faciem Templi, ex alia Conventum exornat superbissima Magnatum residentia, cum contigua PP. Trinitariorum Ecclesia, alijsq; diversissimis domorum, collium, nemorum, aquarumve varietatibus.

CXXVII. *Conventus Voluranensis* initium sumpsit à Martino Voluram (sic dicto à Patria) Actuario Consistorij Cracovien. Parocho Dzierzaznen. qui videns Parochiam patriam, planè derelictam præ inopia (cujus Possessor ultimus R. Gauda cum non haberet competentem subsistentiam sed tantum aliquam partem agrorum, illos quidem locavit incolis, & ipse in affiliata Dluzecensi Parochia habitavit, propter quod Oppidum Voluranen. magnam incommoditatem, & multa animarum detrimenta subivit, quibus juvandis ut plurimum obvios Presbyteros cognati & noti invitabant) *misericordiâ motus super illam*, supplicavit S. R. M. pro tunc Sigismundo III. ut Nostris Canonicis Jus-Patronatus donaret, quod & factum, & ipse à Loci Ordinario Cracoviensi, tunc Joanne Alberto Principe Poloniæ consensum incorporationis Congregationi Nostræ Crac. expostulavit & exportavit, anno 1630. & in vim fundationis, Conventualis Domûs, sexdecim millia florenorum Polonicalium inscripsit, in subsidium provisionale etiam cessione obtenta Dluzecensis Ecclesiæ veluti Filiæ ex antiquo Voluranensis Parochiæ. Locus ille commodâ residentia & alijs particularitatibus insignis est, præsertim Sanctorum Virorum memoria &

Reli-

Reliquijs venerandus, ubi ex Ordine Nostrûm inveniuntur quinq; corpora incorrupta, de quibus inferius *sub Num. CXXXVIII.* Lectorem informabimus. Auxit honorem sepulturæ loci illius præter multa corpora Nobilium pijssimus Fundator cum Matre & Sorore sua, nec non alij viciniores Parochi pariter incorrupti; quem etiam extremo halitu & spiritu, clariorem reddidit magnus ille Polonus Theologus, & Prædicator S. J. Pr. Thomas Młodzianowski anno 1686. die 9. 8bris.

Conventus Slonimensis auxit Congregationem anno 1650. per Illustrissimum Leonem Casimirum Sapieha, ProCancellarium M. D. L. qui Illustrissimi Parentis sui continuans piam intentionem, nobilissimum & amplissimum vas Ecclesiæ, necdum finitæ nec dotatæ dotavit & perfecit in Oppido Słonim, Diœcesis Vilnen. unâ legâ distante à celeberrimo Zurovicen. Unitorum Monachorum Cænobio, propter miraculosam Imaginem Deiparæ. Ejusmodi Conventui Słonimen. accesserat cum tempore Parochia Darovien. quam Nostri Canonici per viginti plures annos administrarunt, in possessione dicta Darow, ad proprietatem Słonimensis Conventus pertinente, & insuper depopulantibus Moschis ferro & igne Lituaniam, post conflagrationem tam Ecclesiam quàm Domum Parochialem, de nova radice Nostri exædificarunt, & per hoc sæcularibus appetitum exacuerunt in illam, ita ut loco gratitudinis illam Nostris ademerint.

CXXVIII. Plures aliæ Fundationes eidem Congregationi Cracov: præsertim sub felicissimo regimine præconizati sæpius Martini Kłocinski Præpositi Generalis per Poloniam & M.D.Litu. offerebantur in diversis locis, quas vel noluerunt acceptare Nostri, ob exilem dotem appromissam; ut in terra Scepusiensi contermina Germaniæ ab Illustrissimo Stanislao Lubomirski Palatino Cracov. & in Oppido Tarłow à Joanne Oleśnicki: vel non permisit Loci Ordinarius, ut in Oppido Myslenice, ubi ad promovendum majorem cultum Deiparæ diversis gratijs famosæ, quidam Parochus offerebat sexdecim millia florenorum Polonicalium pro Monasterio Canonic. Reg. Nostræ Cong. Cracov. anno 1633. Similiter in Ducatu Masoviæ Joannes Szyszkowski Capitane' Woynicen. dispositis omnibus necessarijs, & præparata omnigena materia ad excitandum pro Nostris Monasteriũ, ad Ecclesiam Parochialem in Oppido Maciejowice morte præventus, priùs vitæ finem, quàm fabricæ principium imposuit. Et in M. D. Lituaniæ Districtûs Połocen. Josephus Korsak Palatinus & Capitaneus Msciflavien. accersivit duos Canonicos ex Conventu Nostro Generali Crac. quos cùm fuerit senio confectus & cælebs, penes se manere fecit, & vix non totius suæ fortunæ hæredes instituit; etenim Canonicis Nostræ Congregationis pro fundatione in Oppido Głębokie inscripsit quatuordecim pagos, & unum Oppidum cum titulo Abbatiæ, sed ex invidia malis artibus Aulicorum, eò tandem deductus est senex, ut fundationem illam irritam fecerit, & ut Congregatio Crac. juri suo cederet, viginti quatuor millibus florenorum Polonicalium, Villam Jakientany nuncupatam emit, & egenti sustentatione & subsidio Conventui Vilnensi in Antocollo

anno 1642. juxta obloquentiam Instrumenti super his, perpetuò applicavit. Quæ omnia dictus Præsul Martinus Kłocinski approbans libenter acceptavit, tum ob loci distantiam, magis ex alijs internis rationibus. Ibidem in M. D. Lituaniæ in Oppido Połonka nuncupato D. Stephanus Brzuchanski Judex terrestris Słonimensis, excitatâ ædicula lignea cum Monasteriolo, voluit Nostros Lateranenses introducere, & ad hunc effectum supplicavit Prælato Cracov. S. M. Victorino Wereszczynski, qui perspecta tenuitate fundationis, gratias egit pro affectu in Religionem, sed munus oblatum noluit acceptare, prout ipsi PP. Dominicani fatentur, qui in locum Nobis destinatum, minimè spectata subtilitate subsistentiæ, subintroierunt.

§ IV.

De Viris Sanctitatis gloria honoratis, ex Congregatione Cracoviensi Canonicorum Regularium Lateranensium.

CXXIX. In præsenti §. explanatur primum & ultimum hujus II. Partis Schema, pro quo dilucidando adducemus (ut alias consuevimus) externorum, quæ nancisci potuimus testimonia. Et inprimis ad favorem *B. Stanislai Casimiritani* satis est allegare (præter ea quæ in Libro vitæ istius Beati, Polonicè impresso Cracoviæ anno 1702. præsertim 1. Part. Cap. 21. ex varijs Scriptoribus annotavi, & post impressionem Libri sequentibus annis ad calcem unius & alterius Exemplaris ejusdem Libri, multos alios Authores eundem Sanctum encomisantes collegi) Martinum Baronium Jaroslaviensem Clericum, qui in Libro vitæ ej⁹ pariter Cracov. impresso, anno 1609. in Typographia Basilij Skalski, sic de illo copiosissimè disserit: *B. STANISLAUS Polonus originem suam duxit ex Casimiria quæ est contigua Cracoviæ Civitas honestis prognatus Parentibus, pietateq; conspicuis Patre Mathia Soltijs cognominato, textoriæ artis professo Consule Casimiriensi, Matre verò Hedvige fæmina devotissima. Natalem ejus illustrem effecit solennis apud Polonos dies Translatione Corporis S. Stanislai Episcopi & Martyris, ex Templo supra martyrium exædificato, ad augustiorem Cathedralis Arcis Ædem. In eo statim à primis incunabulis miræ quædam pietatis ac religionis semina emicuerunt. Nam quàm primùm per ætatem licuit Academiæ Cracov. bonarum artium ad disciplinarum gratia, à suis commendatus tantos ibidem tamq; stupendos progressus brevi temporis spatio fecit, ut omnes æquales & coætaneos suos multis post se parasangis, cum admiratione haud modica Præceptorum, derelinqueret. Pulchram autem à DEO animam nactus, animadvertens haud tutò scorpionibus cohabitari, religiosum vitæ genus sub Regula S. Augustini apud Canonicos Regulares Lateranen. magna animi cum aviditate amplexatus est, paupertatem Christi vanis ac fluxis mundi pollicitationibus prudenter anteponens.*

In consortium itaq; servorum DEI receptus, tanquam lucerna supra candelabrum posita, vitæ sanctimonia, abstinentia victus, multaq; reliquarum virtutum luce, ita subito splendescere cæpit, ut superiores virtutibus ejus impulsi sine mora illum primò in Ordinarium Verbi Divini apud Conventualem Ecclesiam suam

Præconem, paulò post quoq; sæc. pagina ad Fratres suos Lectorem publicum, ac deniq; ita urgentibus maximis ejus meritis in VicePriorem Conventus Corporis Christi, unanimi consensu adoptarent. In quo dignitatis gradu constitutus, quàm uberem messem animarum tum ignitis ac zelosis concionibus, tum sancta & exemplari vita, apud concives suos collegerit, dici vix potest; nec enim ita in proclivi positum reor exactum in via numerum eorum, qui doctrina ipsius, sanctaq; conversatione ex scelerum ac flagitiorum lacunis, extracti, ad salutarem pœnitentiam veramq; vitæ emendationem traducti sunt. Ea quippe præpotentis DEI gratia super illum luculenter irradiabat, ut omnes amabili quadam ac perjucunda morum ipsius suavitate illecti, eum tanquam communem Parentem plusquam filiali affectu prosequerentur. Hinc factum est ut quotquot essent tum vitæ instituto, tum morum consonantia ipsi persimiles, minimè sese à calore amicitiæ ejus abscondere valerent, quin subitò dexteras illi concederent, sanctaq; laborum ac consiliorum communione, ipsum ad opus Evangelij instantiùs perurgendum fortiter instigarent. &c. &c.

CXXX. *Beatus hic Stanislaus Noster supra reliquarum virtutum cumulum, mirâ insuper solertiâ ac vigilantiâ præditus fuit, quoq; se ab humanis laudibus occultaret faciliùs, noctu singulas infirmorum Fratrum cellulas adibat, & benedicens ipsis signo S. Crucis in osculo pacis, ac solatia spiritualia, sanctaq; monita ijsdem impertiens, subinde hæc & similia repetens verba:* Fratres chariſſimi, oportet Nos per multas tribulationes introire in Regnum Cælorum. *Necessaria quoq; si opus erat, opportunè illis ministrabat. Eandem quoq; consuetudinem in visitandis sæcularibus ægrotantibus, haud segniùs usurpabat; omnibus enim debitorem se arbitrabatur, nulli quantum ab ipso erat subtrahens viscera compassionis, & vitæ documenta salubria.*

Nocte indutus cilicio, nuda humo incubans, somnum capiebat supposito Capiti, loco cervicalis, saxo durissimo. brevi degustato somno, iterum surgebat ad pernoctandum in Oratione sancta, DEIq; justificationibus sese exercendum instantiùs. Diebus quoq; solenni jejunio ab Ecclesia dicatis, frequenter conspectus fuit abjecta tunica, sacco tantummodo indutus incedere. Integram hebdomadam bina solummodò refectione in pane hordeaceo ac aqua frigida terminare, dimensum suum quotidianum; residuum pauperibus larga manu interim distribuens.

CXXXI. *Tam rarâ vigilantiâ præditus fuit, ut nocturnas Fratrum Vigilias, unus omnium semper anticiparet, nonnunquam quinquagenos, sæpe etiam integrum ex ordine Psalterium ante Matutinas expediens. Cibum nonnisi flexis genibus, ac Oratione Dominica pro vivis & defunctis recitata, capiebat. Spiritum suum aßiduè scopebat meditatione sancta, statuens se in conspectu Domini & B. MARIÆ Virginis, cui singulari quadam devotione addictus erat. Hinc cùm aliquando in Ecclesia S. Stanislai, loco, ubi Martyr Christi pro veritatis & Ecclesiæ DEI defensione trucidatus fuit (habebat enim hoc in more positum, ut singulis ferijs sextis quoad viveret, sepulchrum Christi Martyris devotè visitaret) insolito quodam spiritûs impetu correptus, preces suas ferventiùs perageret, meruit videre gloriosam Virginem MARIAM, puerum IESVM brachijs suis claudentem, stipatam glorioso Episcopo & Martyre Stanislao, Pontificalibus solenniter induto, concomitante insuper innumerabili Sanctorum cohorte, in hæc verba eum compellantem:* Gaudeo Fili Staniſlae de inſigni iſta devotione tua, quâ me unâ cum S. Staniſlao Patrono tuo indeſinenter proſequeris; ideò tibi di-

bi dico, viriliter age, & esto robustus, te enim cum Sanctis meis merces copiosa expectat in Cælis. *hisq; dictis disparuit. Ex qua die ita strictè silentium observare visus est, ut à Completorio usq; manè alterius diei, nonnisi* Prima *peracta, nullus unquam ex ore ipsius elicere verbum potuerit; quâ absolutâ Causarum audientiæ se dabat, aut si ab his vacare contingeret, usq; dum tempus Missæ appropinquaret, eloquijs Davidicis, solitarius cum DEO confabulabatur. Quotiescunq; sacris Altaribus astitit oblationem peracturus, nunquam homini verbum locutus noscitur. Sacrâ Synaxi peractâ aut labori manuum se dabat, aut de scripturis sacris cum sibi charissimis Fratribus conferebat. Hisq; & similibus sanctis exercitijs deditus, ne utiquam tamen consuetum prædicandi munus intermittebat, docens, increpans, obsecrans, cum multa humilitate & patientia. Verba autem ad populum faciens hæc inter alia frequenter iterare solebat:* Tu qui Missam audis & à fine recedis, nulla tibi merces datur, quia laus Divini Officij in fine probatur.

CXXXII. *Deniq; multis pro Christi Nomine exantlatis laboribus tandem in gravem infirmitatem incidit, quâ ob exhaustas nimiâ abstinentiâ, ac vitæ rigore vires, de die in diem magis invalescente, à Domino se ad requiem vocari, haud obscurè persentiens, ingenti lachrymarum imbre effuso, Divinæ sese misericordiæ ac protectioni ferventissimis precibus commendare cæpit. Cui ita in Oratione posito subitò apparuit Dominus & Salvator Noster, unà cum gloriosissima Virgine MARIA ac multis Sanctis Regni præsertim Poloniæ Patronis, blandè illum hisce verbis compellans:* Surge & festina Fili mi Stanislae, hodie enim mecum eris in Paradiso. *Quo exoptato nuntio percepto, subitò de lectulo sese proripiens, sine mora Sacramentis Ecclesiæ præmuniri voluit, quibus rite & ex ordine summa cum devotione perceptis, convocatis Fratribus suis in Christo charissimis, pacisq; osculo salutatis erecta manu eisdem benedicens, manusq; singulis imponens in hæc verba ijsdem valedixit:* Benedicat vos D. DEUS Noster, Pater, & Filius, & Spiritus S. Amen. Et det vobis suam sanctam pacem, charitatem perfectam, conversationem sanctam, & pios mores, insimul omnibus in sæcula sæculorum, Amen. *Quibus dictis prostratis in terram genibus, manibusq; in formam Crucis expansis, fixis in Cælum oculis, castissimam animam DEO commendavit, ultima verba hæc emittens:* Domine JESU Christe, Fili DEI vivi; In manus tuas commendo spiritum meum. *sicq; animam D. DEO reddidit. 1489. 3. Maij. sepultus est cum summo honore & timore Domini, cum gaudio & lætitia omnium, non sine miraculis ibidem Casimiriæ in Ecclesia SS. Corporis Christi apud suos Fratres &c. Incidit ejus obitus in tempora Leonis Papæ X. Maximiliani I. Romanorum Imperatoris, Casimiri IV. Regis Poloniæ, atq; Friderici S. R. E. Card. Episcopi Cracoviensis, & ArchiEpiscopi Gnesnensis ejusdem Casimiri IV. Regis Poloniæ Filij &c. Cujus Epithaphium in Sepulchro ipsius ex antiquo & obliterato charactere, eâ quâ potuimus fide collegimus, & suis numeris reddidimus.*

Hoc conclusa latent Divi Patris ossa sepulchro
STANISLAI, hâc Casimiria de gente creati.
Cujus erunt meriti, miranda æterna trophæa.

Hic sequuntur 58. beneficia seu gratiæ ad intercessionem istius Beati, populo credenti exhibita, cum Antiphona, ab eodem Authore edita, quæ sequitur:

Ave

Ave lux vitæ Canonicæ, DEI Confessor mirifice,
B. Pater STANISLAE, stella refulgens Casimiriæ.
Gloria Tu Polonorum, Tu decus Canonicorum.
Quos Regula sancta fovet, atq; Summo DEO vovet,
Cujus Divus Augustinus, post DEUM Author est primus.
Vir omni lingua laudande, toto orbe prædicande,
Qui das lapsis relevamen, qui das infirmis juvamen.
Tu pro nobis intercede, ut Cælesti nos mercede
Ditet DEUS cum Beatis Regna suæ faustitatis. Amen.

CXXXIII. Qui autem plura de hoc Sancto pietatis & doctrinæ documenta nosse percuperet, videat si potest Theologicas Theses meas: De Incarnatione Christi. De Divina Gratia. De Peccatis. De Pœnitentia. De Jure & Justitia. imò & ex Philosophia universa; ubi sensum speculativum Conclusionum, cum sensu Morali Actionum istius Sancti, permistim internectens publicis Disputationibus in Nostra Canonia Casimiriæ ad Crac. exposui, & à Doctoribus diversarum Religionum ventilatas, impugnationibus, propugnavi. Præterea videri potest Liber nuncupatus: *Respirium Viatorum in solitudine spirituali* per octiduum, ubi ad finem Libri universalem Praxim vitæ Activæ & Contemplativæ ipsius, imprimi feci. Et insuper in Libro Polonico intitulato: *Fons 3plex* devotionis de 3bus Confraternitatibus in Ecclesia Nostra, aliqua adjeci, multò plura ex Manuscriptis ejus, & Concionibus meis, in diversis Ecclesijs habitis (si Domino Cæli placuerit) luci publicæ ostensurus sanctitatis eximiæ monumenta.

Vivum rectè vivendi exemplar Beatum Stanislaum Casimiritanum secuti sunt in vita & sancta morte Venerabiles *Ioannes Leoblin*, & *Nicolaus Biecz*, quorum primus (juxta Nostrum Christophorum Łoniewski in vita ejusdem B. Stanislai, & Stephanum Ranathowicz, ubi hæc habet) *tanta morum probitate fuisse comperitur, ut in Imagine ipsius pictis coloribus expressa à Majoribus, vitæ sanctitate conspicuus Nomen Beati meruerit. Qui anno salutis 1492. die 7. Februarij, vitam cum morte commutavit.* Alter *de Oppido Biecz oriundus, in Religione innocentiâ vitæ præstantissimus, à majoribus sanctitate notatus, anno Incarnationis Christi 1494. è carne mortali eductus, ad immortalitatis locum, emigravit die 20. Februarij.* His alios duos eodem sæculo annumerat citatus P. Christophorus Łoniewski, opinione vitæ sanctioris notatos, videlicet *Gregorium* Presbyterum Molendinorum Procuratorem, qui eodem anno 1494. die 27. Februarij terram Cælo commutavit, & *Salomonem* Priorem, quem P. Stephanus Ranothowicz citatus, in describendis Psalterijs in pargameno, laboriosissimum asserit usq; ad mortem, quæ secuta est 26. 9bris 1585.

CXXXIV. *Adamus Sibovius* prout habet Hyacinthus Pruszcz, Lib. intit. Fortalitium Spirituale Regni Poloniæ *Boleslaviensis, Prior Conventus SS. Corporis Christi Canonicorum Regularium Casimiriæ ad Crac. Vir laboriosissimus, in pauperes & egenos munificus, & omnibus charus. Hic à Conventu in certis negotijs missus Romam, ex itinere (quod pedester confecit) contraxit morbum, & instante morte, Sanctarum Virginum & MM. Agnetis & Ca-*

tharinæ apparitione recreatus, plenus virtutibus ad Dominum migravit, Cracoviæ in platea S. Ioannis anno 1607. sepultus in dicta Ecclesia SS. Corporis Christi. Corpus ejus requiescit post cancellos in ingressu minoris Chori, ad septemtrionalem plagam. Testatur de hoc magnæ sanctitatis Pater Gelasius. Exorcista terribilis dæmonum, quòd quoties voluit experiri, an verè sit aliquis energumenus, inducebat eum in locum sepulturæ, ubi verè obsessus à dæmonibus clamare consueverat: uritme Adamus, hoc loco sepultus. Quod ultimum, ipsum etiam saxeum licet monumentum probat. in quo nullus energumenorum usq; modò, citra notam fastidij tutò consistere potest, imò nè quidem marginem monumenti attingere audet, præcipiti passu illud transiliens. Si autem aliquis dæmoniacorum aliquantulum ibidem subsistere coactus fuerit, magna vi sese jactans vociferatur: majora tormenta præ infernalibus se sustinere. Et hoc ipsum in specie deducit dictus P. Stephanus Ranothowicz in suis manuscriptis, ubi hæc habet: Anno Dñi 1660. venit ad Ecclesiam Nostram SS. Corporis Christi post vesperas quidam Nobilis cum puero ex majori Polonia, & ingressus Sacristiam petijt P. Sacristianum, quatenus cum P. Priore Conventûs colloqui posset. Venit P. Prior, coram quo in Sacristia cùm plurimas suas calamitates enarrasset, & maximè se esse à dæmone obsessum dixisset, P. Prior Sacristiano secretò dixit, ut quasi honoris gratia introiret cum ipso Ecclesiam, & inter colloquendum induceret ipsum in sepulchrum Ven. Adami Sibovij, & ibi subsisteret; quod cùm fecisset Sacristianus mirum est; ut primum ingressus est ille Nobilis locum sepulturæ, protinus ex lapide exilijt dicens: non possum hìc diu stare, nam iste lapis mihi ignitus videtur. Simile huic accidisse notavit idem Pater anno 1668. subjungens: Cujusdam Civis Casimiriensis Alberti Zietarski, Filius 12. annorum infascinatus Scholam frequentabat. huic quotiescunq; in Processionibus, vel alia occasione illum lapidem sepulchralem transire contigerat, vel illud monumentum circuibat. vel celeriter transcendebat. quæsitus à Discipulis causam, respondebat se maximum illic ardorem sentire. Unde de industria ab aliquibus tentus, & vi in locum sepulchri deductus cum maximo clamore & reluctantia, vix per tempus modicum subsistere potuit. Nec hoc videtur mihi subticendum ad majorem commendationem sanctitatis servi DEI *Adami Sibovij*, quòd dum celebrarem in Capella B. Virginis Literatorum, postridie tactæ turris à fulmine ignito, in gratiarum actionem pro extincta scintilla. Sacrum. circa elevationem dæmones in obsessis corporibus terribiliter & amarevole cum ejulatu grandi, multis qui aderant Sacro, stupentibus, & intra se ob novitatem supernæ gratiæ collætantibus, clamabant in hac forma: *Biada nam na to Kościelsko, ktore tużby też byłe wszytko zgorzało, gdyby nie Stanisławisko y nie Adamisko, za niego się przed Naywyższym zastawiało.* Tandem post ingeminatum sæpe sæpius væ. contra servos DEI, subticuerunt. Hujus rei extat memoria in tabula depicta ad sepulchrum B. Stanislai Casimiritani, cum effigie utriusq; Servi Dei, adjunctâ presè historiæ ejusmodi annotatione.

CXXXV.

CXXXV. *Nicolaus de Radomsko*, ut scribit citatus Hyacinthus Pruszcz, *Presbyter Canonicorum Regularium in laboribus continuò vivens, Christianæ Doctrinæ instituta diebus Dominicis & Festis, parvulis exponere non verecundabatur. Sacra loca bis in anno propter majorem mortificationem carnis, pedes visitare consuevit. Ut plurimùm pane & aqua ipse contentus, portionem suam pauperibus distribuebat. Fuit multùm misericors, modestus, & omnibus virtutibus plenus. Qui correptus morbo infirmariam petijt, ubi per biduum orans, mirificè recreabatur infantulo in ulnis Deiparæ Virginis depicto, cui etiam agonem suum commendabat, obsecrans, ut se ad gloriam suam susciperet. Quo facto petijt advocari Fratres, quibus valedicens Deo & Beatæ illos commendabat, ipse disertis verbis orans: In manus tuas Domine commendo spiritum meum, animam Deo reddidit, anno 1610. die 22. 7bris.* De hoc etiam literarum monumentis compertum est, quòd ex obedientia factus fuerit Sacerdos, detrectans horrenda Dei mysteria. voluntariæ paupertatis fuit studiosissimus, in vigilijs & orationibus assiduus, & tamen tot virtutum cultor, ad extremam horam veniens, à circumstantibus veniam offensarum profusis lachrymis petijsse fertur. Hunc etiam præter alias virtutum dotes, pietas in patriam, non ingratâ celebrat memoriâ; etenim anno 1680: Radomienses Cives exploratam habentes comPatriotæ sui in se charitatem, qui se eis grassante incendio Civitatis, cum manifesta ope conspiciendum præbuit, venerunt ad Nostrum Conventum Crac. quærentes si fortè adsit aliquod Altare, vel aliud devoti Patris honorabile monumentum, ad persolvendas pro præstito beneficio gratias. Pariter me solicitavit aliquoties Josephus Leytner AA. LL. & Ph. D. Patritius Cracovien. pro tunc Miechoviensis Conventus Concionator, quatenus ei communicarem istius Servi Dei prototypon, ad depingendam similem imaginem, in vim grati animi pro quadam gratia agnita.

CXXXVI. *Valentinus Kuczborski* (ut notat citat⁹ Hyacinthus Pruszcz) *Presbyter Canonicorum Regularium in Conventu Bychoviensi in Alba Russia, homo magnarum virtutum & devotissimæ vitæ, zelosus Concionator & silentij amans, utriusq; sexus personas sæculares devitabat. Tanto autem vitæ solitariæ desiderio æstuabat, ut cùm licentiam à Superioribus obtinere non posset, clam in vastam solitudinem in fines Moschoviæ se subduxit, & ad fluvium Borysthenem nuncupatum, consedit; verùm ne à Schismaticis occideretur, quæsitus, inventus, & inde revocatus, ad preces illius assiduas in sylvam ad Monasterium spectantem vicinam villæ Ozieranij, ire permissus est, ubi in solo pane arcto, persistebat, quem illi viciniores incolæ subministrabant. Nihilominùs propter frigoris asperitatem in illis regionibus vix tolerabilem, denuò à Superioribus revocatus, nunquam tamen hypocausto calido uti voluit, continuò sacras literas legens, obijt in Bychaviensi Conventu plenus omnibus virtutibus anno 1624. die 2. Martij, sepultus in Ecclesia Conventuali S. Casimiri.* Hic ut patet etiam ex monumentis Nostrorum Patrum, velut alter Abraam *exivit de cognatione sua, et de domo Patris sui*, manens in remotissimis partibus; & insuper *abnegavit semetipsum*; nam cùm esset cognatus Episcopo Posnaniensi Joanni Kuczborski, qui postea ad Episcopatum Cujaviensem ascendit, negabat se esse nobilem, ne quis

Mm infer-

inferret Episcopo esse consanguineum, teste Christophoro Łoniewski tunc Præposito Bychoviensi.

CXXXVII. Magis humilitate & simplicitate cordis, quàm dignitate Officij celebratur. *Albertus Sowinski* Tarnovius, Præpositus Suchensis. Professus Crasnicensis, prout & Nicolaus de Radomsko. De hoc etiam externum testimonium citati Hyacinthi Pruszcz affert sequentia: *Anno 1636. die 6. iobris decessit de terra viventium magnarum virtutum Religiosus, Canonicorum Regularium Albertus Sowinski, qui sine intermissione perseuerabat in oratione. Propter pauperes ipse parabat cibos in culina, cùm esset Prior in diuersis Conuentibus. Ex amore majoris mortificationis corporis, ferreâ catenulâ lumbos præcingebat, quam post mortem incorporatam carni inuenerunt. Ad hæc (multorum Patrum Conuentus Suchensis, prout et aliorum pro tunc ad celebrandum dedicationis Ecclesiæ Festum, congregatorum,) traditio est, quòd dum alij indulgerent relaxationi mentis, ille in superiori parte domus sub tecto orans, erecto in Cælum uultu, et manibus extensis deprehensus est.* Adeò quippe orationi deditus erat, ut etiam intempesta nocte exiliens è lecto, quod duriusculum & vile habebat, eidem sæpe sæpiùs invigilaverit. Per abjectionem in mundo soli DEO placere studens, non alia veste in vita usus est, nisi pannosa & crassa; pro refocillatione corporis non alio cibo, nisi vili, & oleribus; ad quam jejunij austeritatem (acriter seipsum verberans) cruentam flagellationem crebriùs adhibebat, quâ tyrannum suum ut ille dictitabat, carnem videlicet propriam, cum vitijs & concupiscentijs crucifigebat, cùm esset *Vir simplex, purus et integer*, teste Christophoro Łoniewski, cæterisq; Patribus cum eo viventibus in dicto Conventu Suchensi, ubi sepultus quiescit.

Ioannes Gelasius Zorawski ex Oppido Turki in Polonia oriundus, *integritate uitæ, honestate morum, modestia, pietate, gratiâ curationum insignis* censetur in catalogo defunctorum Fratrum, & prout habet citatus Hyacinthus Pruszcza in Adamo Sibovio *sub Num. CXXXIV. magnæ sanctitatis Pater, Exorcista terribilis dæmoniorum*; propter quod donum, magnas eleemosynas à magnatibus habuit, quas omnes omninò pro *decore Domus Dei* convertebat. Dùm enim in Generali Conventu Sacristianum ageret, Ecclesiam pulcherrimis picturis in minori Choro, altaribus integris in majori, exornavit; thesaurum verò Ecclesiæ auctâ notabilissimè argenteâ suppellectili, & id genus alia, pretiosiorem reddidit. Expost in Curosuacen. Monasterio residens, Ecclesiam totam de latere cocto instauravit. Primus deinde Præpositus Voluranensis creatus, Monasterium totum, minorem Chorum Ecclesiæ, & Sacrarium cum Oratorio desuper, de muro erexit; ubi etiam plenus bonorum operum exactis in Religione annis 32. ætatis suæ anno 68. Domini verò 1645. die 21. Julij, lucis usuram finivit, famâ immortalitatis, & incorruptibilitate sui corporis, usq; in præsentem diem gloriosus.

CXXXVIII. Pariter immortali memoria censeo dignum, re & nomine, *Innocentium Ioannem Siekierski* Præpositum quondam Voluranen. qui à Majoribus Nostris in vita innocentiæ laude commendatus, notæ gra-

tæ gratiæ Divinæ monumentum reliquit, exuvias ſui corporis incorruptas in loculo ſuæ Præpoſituræ. Et licet ibidem 4tuor corporum è Noſtris Canonicis ſoliditas, integritatem quandam vitæ commendat, nullius tamen magis præ iſto; aliorum enim Capita à corruptione conſumpta, ſeparata aſſervantur, iſtius firmiter corpori annexum, ac ſolo naſo amiſſo integrum, quaſi pendulum in aere ſubſiſtit. Hic Venerabilis Pater ex Parocho ſæculari Religioſus factus, dùm ob morum præſtantiam in Præpoſitum eligeretur, in brevi pertæſus ejusmodi officij, maximè ex eo, quòd Patres ad normam ipſius, utpotè paulò rigidiorem vivere non poſſent, & ideò ſæpiùs lamentarentur, reſignatâ ſponte Præpoſiturâ, tantâ obſervantiâ ſolitudinem in Conventu coluit, ut vix aliquem ex ſæcularibus cubiculum ſuum ingredi permiſerit, ſed quantotiùs potuit, extra cameram expedivit, ipſe præter Eccleſiam & ſub tempus refectionis communem ſtubam, etiam ad culinam, ex oppoſito cujus habitavit, aditum ſibi perpetuò præcluſit. Cænam nunquam manducavit, & carnis eſum aliquot annis ante mortem ſibi prohibuit. Officium ſuum etiam in gravi ætate nunquam intermiſit, quod vel inde conſtat, ut dùm eum turnus tangeret, diſcedendi ad Parochiam Dluzecenſem die feſto, & equo inſidere non poſſet, curru vehi potiùs, quàm excipi à labore maluit. In hac vel ſimili auſteritate vitæ exactis in Religione 36. annis, obijt 1671. die 30. Aprilis.

CXXXIX. Non deſunt & alij etiam ex Martyribus Sancti Viri ejusdem Congregationis Cracovien. *quorum memoria in benedictione eſt* apud Connotatiſtas Noſtros, præſertim Venerabilis *Ioannes Baptiſta Malonowſki* Præpoſitus quondam Craſnicen. *conſummatæ authoritatis et doctrinæ Vir*, ut ait Noſter Stephanus Ranothowicz in manuſcriptis, *à Coſacis* Chmielnicianis *Craſnicium vaſtantibus in odium fidei Catholicæ crudeliſſimè occiſus*, usq; ad exterebrationem oculorum, canapæâ vittâ circum caput ejus velut coronâ Martyrij decoratus, die 20. 9bris 1648. Similiter *Iacobus Mrowinſki* Subdiaconus laureolâ Martyrij in ſua imagine dignus notatur, quòd dùm de anno 1655. Suecorum turba invadens Caſimiriam, portam Monaſterij per vim effringere tentaret, juſſus fuerit per obedientiam ad eos exire (ut audivi à Rñdiſſimo Noſtro immediatè defuncto) utpotè callens linguam Germanicam, quorum quidam ferocior per poſtes Monaſterij ſclopetum ad illum direxit, & inſtantaneè 26. 7bris occidit. Venerabilis quoq; *Stephanus Smolenſki* Diaconus, Philoſophiæ Baccalaureus, per naturalem, Divinæ ſpeculationi aſſuetus, mentem non rarò cæleſti ſerenavit fulgore, qui idcirco monumentum ſanctitatis *inter inſignes* pietate viros, in deſignata ſibi imagine promeruit, teſte citat. Steph. Ranoth. in manuſcr. ubi obitûs illius 21. Maij 1619. meminit. Idem *Laurentium Kośćinſki* Presbyterum, unà cum imagine à Majoribus ſuæ memoriæ dicata, biennali morbo, continuo affixum lecto, velut alterum Jobum usq; ad ultimam diem, quæ fuit 13. 7bris. 1613. ex patientia concelebrat.

CXL. Maximam autem præ cæteris commendationem meretur

Mm 2 & ha-

& habet ex catalogo defunctorum Patrum, Venerabilis *Conradus* Præpositus Cracoviensis Canoniæ, *qui multùm fideliter pro bono communi laboravit*, & prima forma rectè vivendi alijs factus, miro virtutis fulgore præluxit. Nam præter *gloriosa dicta* de illo superiùs *sub Num. CI. & sequ.* ex Joanne Dlugosz, plurima ejus recenset præconia in manuscript. cit. Noster Stephanus Ranothowicz. Et inprimis ejus præclarum Religionis zelum (dicit ille) vel ex hoc cognoscere potes, cùm id illi potissimum curæ fuerit, Fratres eximio prosequi amore, eorumq; ita singularem gerere curam, ut ad necessitates illorum relevandas ex Conventus proventibus pia liberalitate necessaria erogaret. Regi Fundatori & Episcopis Cracoviensibus charissimus, Prælatis sæcularibus & Religiosorum Superioribus, amicissimus fuit. Suorum quoq; Fratrum adeò studiosus erat observator, ut absq; votis & consilijs ipsorum nihil unquam perageret. Ad Novitiatum prout & ad Professionem Canonicam, libenter, non tamen sine delectu admittebat; quàm primùm enim ille sacrum hoc Institutum regendum suscepit, confestim ad illum Viri nobiles, pij & docti certatim accurrêre, qui abdicato rerum sæcularium usu, inter alumnos Christi conscribi ardenter postulabant. Pauperum, quos in porta Monasterij & ad mensam semper alebat, amantissimus fuit. Jurium & libertatis suæ Ecclesiæ defensor acerrimus extitit. Patres sui Ordinis, ex Silesia, Moravia, & Bohemia, Hussitarum persecutionem declinantes, multoties cum omni charitate collegit, & fovit. Et nè plura in medium afferamus, ita gessit officium suum, ut omnibus numeris absoluti boni Pastoris specimen exhiberet. Plebis, suæ curæ commissæ, non minùs verbo quàm opere Magister, & ad præclaras quasvis actiones, pietatis causâ suscipiendas, Dux & Author fuit. Hæc P. Ranothowicz, & alia plura.

CXLI. Conradi virtutes utpote sui Superioris ad vivum effigiavit in seipso quidam *P. Augustinus*, qui primus ex Sac. Canonicorum cætu, in opinione sanctitatis Casimiriæ ad Crac. ad immortalitatis gloriam evolavit, anno 1407. die 2. Julij, juxta P. Christophorum Łoniewski *in vita B. Stanislai Casimiritani.* Non absimilis primo, cæteris re & nomine Prior, & primus Professus Cracovien. Conventûs, *P. Simon* ab eodem & ibidem noscitur Historico, ultra quem Stephanus Ranothowicz indefatigabilem notat in scribendis libris in pergameno, pro decantando Divino Officio, quorum multa monumenta non minùs grandia, quàm egregia extant, hucusq; sacram antiquitatem redolentia, quibus cum vita finem imposuit, anno 1422. die 27. 9bris. Idem citatus P. Christophorus Łoniewski uno eodemq; sæculo tres gratias transcendisse cælos annotavit, videlicet *Ioannem* de Sacz, *Ioannem* cognomento Auris, & *Ioannem* de Nyssa Diaconum, qui, quàm pretiosi fuerint DEO, vitæ cum Nomine illorum probat conformitas. Claudit agmen *Venceslaus* Presbyter, qui pariter cum alijs juxta citatos historicos *ad æternæ quietis portum transijt*. Verum quidem est, quod alij alios in censu meritorum de opinione sancti-

tatis

tatis collocent, sed quia ejusmodi Canonizationis, non video solida fundamenta, omnes ex industria transeo.

Attamen ex Conventu Vilnensi *par nobile* Patrum, ob præclara in DEUM & Congregationem merita, ad hanc classem spectare videntur. nimirùm; rectissimus seniculus Pr. *Ioachimus Wysrynski* gratiâ curationum, amore Magnatum & multo favore Prælatorum (ita ut ipsi Illustrissimi Episcopi Vilnenses. considerantes sanctam conversationem Religiosi Viri, eum præconizare his & similibus non dedignarentur: *Si taliter omnes viverent, in vivis maneret S. Augustinus &c.*) toti Lituano Orbi commendatissimus, ac notissimus fuit; Cathedralibus autem Vilnen. adeò charus, ut sæpiùs eo ad prædicandum Verbum DEI, in sua exedra usi fuerint; semper verò honoraverint eundem hoc ipso respectu pro Festo Tutelaris sui S. Joachimi, quem solenniter quotannis celebrare consueverunt. Et quod præstat his omnibus, charitate in proximos, quibus, quo potuit modo subveniebat bonus Pater, & zelo Orthodoxæ fidei sic æstuabat, ut etiam per *vicos & plateas*, imò per vias, villas, & villanas domos, rudibus & parvulis elementa fidei instillare consueverit, illud in praxi retinens: *Et cum simplicibus sermocinatio ejus*; licet alias ob suavitatem morum & sanctæ opinionis, sæpiùs civilibus personis immistus esset, quibus etiam aliquid spirituale insinuare intra discursum non verecundabatur, nec reverebatur. His virtutibus cæteras amplissimas adjecit, prout: seriam devotionem, humilitatem, patientiam, & continuam mortis meditationem. Olycensis erat Patriâ in Volhinia natus, Aulicus Illustrissimi Andreæ Gembicki Episcopi Luceorien. quondam Canonici Regularis Lateranen. Professi Czerveneçensis. Audivi à quodam ex Nostris quod Societas Academiæ Vilnensis connotaverit vitam ipsius, utinam & luci publicæ quantotiùs exposuerit. Obijt Vilnæ 8. Julij 1694. expletis in Religione annis 53.

CXLII. Alter Pr. *Ubaldus Martinus Leonowicz* Lituan⁹ pro honestate Canonica bis Martyr. Cujus *animam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen Martyrij non amisit* ex causa. Cùm enim nullus Patrū metu persecutionū à Suecis, ob non exolutas cōtributiones (quas ingentes imposuerāt anno 1706. Metropoli Vilnensi, nec non Religiosis Domibus) vellet administrationem Conventûs Vilnensis suscipere; omnes namq; meditabantur fugam; ille tandem votis Patrum tentatus, libentissimè se obtulit in holocaustum, & pretium pro illa Ecclesia, & eâdem ipsâ septimanâ postridie Annuntiationis B. Virginis, cùm non esset solvendo summam præscriptam, pro nummis raptus à Suecis, cum alijs Religiosis tredecim diversorum Ordinum, & aliquot Consulibus ex Magistratu Vilnensi, usq; in Saxoniam abductus est, indeq; precibus an aliquo astu liberatus, terrâ mariq; in Patriam tendens, vix Regiomuntum attigit, quinta die, maligna febri sublatus est, de manibus Patrum Soc. JESU 1707. Mensis Aprilis 29. Fuit hic Pater pro suo Procuratoriatûs Officio, quod multis annis administravit accuratissimè, fervidissimus Jurium Conventûs propugnator, quæ diligentissimè col-

legit, & debitè coordinavit. Ex affectu & devotione in quinq; Christi vulnera libellum precarium, typis mandari curavit. Parcens Communitatis sumptibus, vel ex fine mortificationis liberæ, nunquam calefieri fornacem voluit, extra infirmitatis casum, quanquam septemtrionali algore rigerent omnia. Frugaliter permissis ad commoditatem corporis sui utens, notabilem pecuniam collegit, quam totam in apparatum auro textum exposuit, quo Domum Professionis suæ insignivit.

Justum etiam nobis visum est gratâ memoriâ concelebrare Nobilem *Sophiam Dabkowska* Oblatissam Nostræ Parochiæ Krzeszoviensis, quæ illam Ecclesiam per multos annos gloriosâ vitâ, & post mortem beatam Corporis sui exuvijs nobilitavit, dum Paternæ Domui & Fortunæ renuntians, in loco humili, quia pauperibus Matronis destinato; abdito, quia inter montes altissimos, & separato à Civili frequentia, ruri Villanam non minùs ac vilem vitam duxit; rudi, nè agnosceretur magìs sua Conditio, tecta indumento. Cujus latentem virtutem cùm non possent mortales, divulgat post mortem sepulchralis lapis, figurâ & formâ sequenti.

Z. B. Z. S.



D. M. D. D.

TRIUMPHUS MORTIS,
In quo crudelis & implacabilis mors
Exuvias sortita est de Generosa Virgine,
SOPHIA de Domo DOBCOVIORUM
Tam Castitate Virginali, quàm Paupertate Voluntaria, celebri.
Quam Paterna Domus semel hospitam vidit,
Cùm amor Sponsi, quem dilexit mente & puro corde,
Exire de Domo & cognatione suavitèr imperavit:
Hanc Hospitale hoc, diu peregrinam excepit.
Subit legem latam in manus Sponsi reddens animam intactam,
Ut tactum mortis evaderet Virgo, & suaviùs post labores susceptos obdormiret.
Ubi est ergò mors triumphus tuus?
Cùm non sit mortua Puella sed dormit.
Quam, si adhuc gravis somnus mæroris tenet,
Istam, Tu ô Viator ferventi ad DEUM suspirio excita.
Obdormivit Anno D. 1663, Julij die 12. Ætatis suæ 53.

§. V.

¶ V.

De reliquis Canonicis Lateranensibus famâ, honore, doctrinâ illustribus, Congregationis Cracoviensis.

CXLIII. Finis & meta principalis Authoris hujus voluminis JOANNIS de nigra VALLE fuit, demonstrare Congregationis Lateranensis ceu Matris Universalis, Canonicorum Regularium per Orbem, *Viros gloriosos & Parentes Nostros in generatione sua*; non alia intentio & meta mea est, quàm ultra *pusillum gregem Electorum*, Congregationis Nostræ Cracoviensis, Luci publicæ Illustres quidem Viros, sed sub modio *humilitatis Nostræ* latentes, manifestare, quod præsenti pagina (præmissis tam Nobis, quàm Nostris, scitu dignis) absq; ullo adulationis fuco, non moror adimplere. Nihilominus antequam illos recensere aggrediar, unum necessarium præmittendum puto, quòd temporibus D. P. Augustini, S. Possidonius in vita ejus, Cap. 11. annotavit, sic scribens: *Innotescente & clarescente, de die in diem, Ecclesiæ Catholicæ prædicationis veritate, Sanctorum Servorum DEI proposito, continentia, & paupertate, profunda, ex Monasterio, quod per illum regebatur, magno desiderio poscere, atq; accipere Episcopos & Clericos, pax Ecclesiæ atq; unitas & cæpit primò, & postea consecuta est. Nam fermè decem Sanctos & Venerabiles Viros continentes, & doctißimos, B. Augustinus diversis Ecclesiis, nonnullis quoq; eminentioribus rogatus, dedit*: ita pariter proficiente famâ, de sanctitate, meritis, & doctrinâ Canonicorum Regularium Lateranensium, Congregationis Cracoviensis, diversos è Nostris ad diversas Prælaturas, postulare cæperunt.

Et inprimis, ut à digniore, tametsi novissimo, incipiam, ex quo Regni Senator erat, Illustrissimus & Reverendissimus *D. Nicolaus Wyzycki* Episcopus Chełmensis. Qui vix juventam in Domo Professionis Casimiriæ ad Crac. exegit, multis talentis à natura commendatus, ad Conventum Mstoviensem Canonicorum Regularium Lateranen. extra Congregationem Crac. existentium, in Præpositum postulatus fuit. Tandem à magno ingeniorum Censore Joanne III. Poloniarum Rege, Secretarius Regni factus, & Administratione Abbatiæ Czervenecen. pariter Canonicorum Regularium Lateranen. potitus; expost ultima Ordinatione vix non Testamento Regis, Episcopus Chełmensis nominatus est; superiùs non dubium ascensurus, ni fortuna sub Augusto Rege, omnia sursum deorsum vastasset; sub quo etiam ultimis Augusti 1705. vivere desijt.

CXLIV. Ad eandem Præposituram multo ante tempore assumptus est, pariter Cracoviensis Noster Professus, Nobilis *Andreas Strembosz*, quàm dùm 45. ânis administrasset, tantũ apud Patres Mstoviẽ. fertur promeruisse affectum, quòd licet Cracoviæ moreretur, die 8. 8bris, quo tempore ut plurimũ pluviæ prædominari solent, nihilomin⁹ ad locum Præposituræ per viginti legas, cum Processione, solenni curru portari dignus habit⁹ fuerit, ut ita si quid deesset in vita obsequij, emerito Prælato, à Filijs gratæ mentis compensaretur in morte, honore sepulturæ,

In eadem ArchiDiœcesi Gnesnensi, haud postremæ notæ extat Canonia, in Oppido Kłodowa nuncupato, à Uladislao Hermano Monarcha Poloniæ (cui propter scelus Fratris Germani Boleslai Audacis, Parricidæ Divi *Stanislai* Episcopi Crac. & Martyris, interdictum est Diadema Regale) fundata sub Titulo S. Ægidij, cujus precibus sterilis Hermani Uxor, masculam prolem suscepit. Quæ Canonia licet habuerit aliquando Viros dignos & doctos, ita ut postularentur ad præfecturas ab alijs Canonijs, prout Stephanus Damalewicz S. Th. Doctor ArchiEpiscopalis eloquentissimus Prædicator à Calissiensibus &c. Nihilominùs etiam à Nostris Cracovien. Professis, petierunt & obtinuerunt *Martinum Ciecierski*, qui inibi cum gloria Gentis suæ, sat longo tempore gessit principatum. Tandem 5. Januarij 1615. munere expleto, transijt ad veræ vitæ respirium.

Non minùs gloriabatur Professis Cracoviensibus quanquam remotior Torunium versus, in Lubraniec Canonia, quæ dùm immediate post Professionem obtinuisset in suum Præpositum *Paulum Woleński*, etiam post fata ejus, quæ 25. 9bris 1656. illi evenerunt, expostulavit majorem natu, *Gianoti*.

Similiter *Mathias Gaśsyński* Infulatus Præpositus Stembergensis in Moravia factus, non modicum jubar addidit Congregationi Cracoviensi ad annum 1630. quo finivit vitam, 14. Februarij.

Quid de *Georgio Giedzinski* Nobili hærede in Bolechow in Nigra Russia dicam? Qui ipso die D. Augustini anno 1646. accepto Habitu Religionis in Nostra Canonia Cracoviensi, non multo post in Præpositum Voluranen. electus, tredecim annis integris illum Conventum administravit. Tandem ex fundatione germani Fratris, consentiente tunc Reverendissimo Hyacintho Liberio Generali Præposito, ad instantiam illustrissimi Nuntij Apostolici, Cancellariatum inter ArchiCathedrales Leopolienses Canonicos, cum Canonicatu adeptus est. Ultimo in Officialem Generalem Leopoliensis ArchiEpiscopi assumptus, expost ibidem Suffraganeus Episcopus, die 1. Junij incidente in Dominicam 2dam post Pentecosten, anno 1664. consecratus est, ubi etiam die 2. Junij 1690. felici fine quievit.

Eâdem viâ honoris pergere cæpit præasserti Episcopi nepos, *Stephanus* de Giednie *Giedzinski*, qui cùm esset limatissimi ingenij & ad omnem scientiam propensissimi, Romæ ad Cathedram S. Th. D. promotus, in Domo Professionis Casimiriæ ad Crac. Philosophiam legit, ubi triennali cursu consummato ad ArchiCathedralem dignitatem Leopoliensem, post fata sui Patrui ascendit. Verùm non diu inter illos Canonicos vixit, invidente eum Nobis & illis fortunâ, quem comite morte necdum maturum ætate, in Aprili velut florem (fuit enim non minùs felici ingenio ac eleganti forma præditus) succidit anno 1693.

CXLV. Non defuerunt & alij in Congregatione Cracoviensi, dotibus & genere Nobilissimi Viri, velut sub iconia aurum, sub gleba thesaur9, obscuri & ignoti, prout *Iacobus Oleśnicki* Magni Episcopi Cracoviensis Sbignei, germanus frater, qui cum Patribus Nostris in Domo Profes-

Professionis Generali ad annum 1500. quo vitâ cessit, conversatus est.

Par virtute & Nobilitate *Ioannes Chrisostomus Korßak* Lituanus, Palatini Mscislaviensis cognatus, post aliquot Professionis annos, propter ingenij maturitatem, & ad omnia habitudinem, diversis Præpositucis præfectus, cum tempore pro M. D. Lituaniæ Visitator electus, grassante pestifera lue Cracoviæ, anno 1652. maluit renuntiare honorifico Officio, & ministrare peste laborantibus, quàm à Fratribus sibi ministrari subjectis, quo etiam anno obijt die 2. Julij, exactis in Religione annis 40.

Eodem ipso anno 1652. mortalitatem exuit in Cremenecensi Conventu *Ioannes Kuklewicz* Casimiritanus (Primus Professus dignissimi crebra mentione Prælati, Martini Kłocinski) exactis in Religione annis 38. cujus vel inde patet in agendis solertia, & perfecta Rubricalium Canonum notitia, quòd in feracissima magnorum ingeniorum Diœcesi Cracovien. per annos decem, Rubricam Divini Officij ordinare meruerit.

Lucas Nowack Crosnensis, videbatur quidem Simpliciota ex demissione animi, cæterum tamen librorum amantissimus fuit, quorum in diversa materia haud modicam quantitatem coemit. Signanter D. Augustini opera, D. Thomæ Aquinatis, & totam Bibliothecam Patrum comparavit, & nobilissimis non minùs ac durabilibus tecturis, convestiri curavit, & insuper centum Ungaricales pro augmentandis & reparandis libris, reliquit, exuens se omnibus simul cum vita, anno 1644. die 24. [illegible]bris.

CXLVI. Immediati ComPatriota *Christophorus Łoniewski* singulari zelo in Congregationem enituit, juxta dicta *sub Num. CX.* Vitam B. Stanislai Casimiritani, primus ex Ordine typis mandavit, ad calcem cujus, imprimi fecit Synopsim vitæ *B. Meinhardi* quondam Canonici Regularis, Patriâ de Zegeberg Episcopi Kirkolmensis, Apostoli Livonien. juxta dicta *sub Num. LXXXIV.* & B. *Iuttha* Oblatissæ Canonicorum Regularium, Ecclesiæ Chełmzensis nunc Cathedralis, ubi sanctissimè vixit, & obijt 5. Maij 1260. Ætatis suæ anno 40. Idem bonus Pater reimprimi curavit Regulam S. Augustini cum explanatione D. Petri Claretæ Canonici Regularis, adjuncta in fine collectione Confraternitatum (cum Nostris Canonicis Tremesnensibus Czervenecen. Mstovien. Calissien. Clodavien. Pragen. Uratislavien. Viennen. Rudnicen. Stembergen. Fulnecen. Prostanen. Olomucen. Trebonen. & alijs quàm plurimis extra Congregationem Cracoviensem existentibus; imò & cum alijs diversis Religiosis, uti Cisterciensibus Claræ Tumbæ, Cassinensibus de Calvo monte S. Crucis, Augustinensibus Eremitis Casimiriæ ad Crac. Carthusiensibus de lapide Refugij &c.) ad communicanda suffragia pro defunctis Fratribus. His & alijs perfunctus laboribus pro Religione, *usq; ad senectam & senium* laboriosissimus homo, *quievit ab opere*, anno 1656. die 23. Februarij.

Hoc ipso anno & Mense scilicet 14. Februarij *perijt memoria cum sonitu* magnæ expectationis Religiosi *Simonis Augustini Zegarth* S. Th. D. qui

qui necdum maturus ætate, insignes in Mathesi profectus edidit, nec non Tractatum Trinitarium scilicet de SS. Trinitate, multoties à S. M. Prælato Victorino Werefszczynski, dilaudatum, in ordine ad typum elucubravit, quem tamen morte præventus 42. ætatis suæ anno, luci publicæ exponere haud potuit. Corpus ejus depositum *in terra aliena* nimirum Scepusiensi in Collegio Podolecen. PP. Piarum Scholarum quiescit, ubi in Sede Sapientiæ Romanæ lauro coronatum Caput posuit, sub tempus incursionis Sueticæ in Poloniam.

Paulò maturior ætate, par virtute, alter *Simon Ludovicus Fasciszewski* S.Th. Doctor, Concionator celeberrimus, egregium volumen (quod ipse vidi & legi) *laboris labiorum* suorum, ad imprimendum præparavit, sed diuturno morbo magìs quàm edaci tempore consumptus Crasnicij, priùs quàm sua complevisset vota, migravit è vita die 26. Maij 1667. Professionis suæ anno 34. Mense 7ptimo.

CXLVII. Non adduco in præsenti alios insignes Theologos & Prædicatores, non tantùm de celeberrima Cracoviensi Canonia, sed de aliorum quoq; fama bene meritos, com Professores Nostros, ne corniculam Æsopi compilare videar, sat honoris ad gloriam reputans, quòd eorum merita vividâ hucusq; memoriâ in Orbe Lituano-Polono, externa celebrent encomia, quod illis pluris facit ad honorem, quàm quælibet honorifica mentio. Hinc est, quòd aliarum Religionum, & quidem præclari Viri, Institutum Nostrum, usum vivendi Nostrum, conversationem Nostram, in Congregatione Nostra exambiverint & expetierint. Ex quibus Societas JESU tres Theologos Nobis obtulit, scilicet: *Venceslaum Szeleganski* & *Iacobum Fulgentium Hassium* ex Hassia Germanorum ditione 4ti voti Professum, quorum uterq; in Conventu Cremenecensi, Canonici nati, in bona senectute obierunt; primus anno 1654. alter 1660. die 27. Aprilis, cùm vixisset annos 82. Tertius *Ioannes Augustinus Biesiekierski*, similiter 4ti Voti in Societate Professus, factus Canonicus, in Conventu Generali Theologiam legit, & Librum in 4to de cultu Imaginum Virginis Beatissimæ prælo dedit, ex occasione Imaginis ejusdem Beatissimæ, quæ est in Capella Confraternitatis Literatorum Basilicæ Nostræ Casimiriensis ad Crac. ubi ejus gratias enumerat, non tamen originem ejus describit, credo propter deperditam hominum memoriam, cùm præfata Imago antiquior sit Ecclesiâ, introducta anno 1410. in quandam Capellam, quæ initium dedit Ecclesiæ. Obijt immediatè dictus Pater Crasnicij anno 1635. cùm exegisset in Congregatione Nostra annos tredecim.

In eodem Cremenecensi Conventu *Candidus Slaka* ex Camaldulensi Monacho, factus est Canonicus Regularis, cujus ibidem extant vestigia, propè Conventum, scilicet satæ arbores, in signum Professionis primæ, formam quasi cujusdam Eremi, in vastissimo & aperto campo referentes.

N. Gianoti major, quondam Barnabita in Italia, dùm haberet Patrem in Magistratu Cracovien. Consulem, & juniorem Fratrem in

Congregatione Czervenecen. (qui ad instantiam Parentis, authoritate Nuntij Apostolici translatus est ad Nostram Cracovien.) ipse quoq; ex Italia fortè amore sanguinis immutato instituto, in Poloniam venit, & in Congregatione Crac. mansit, donec postulatus esset ad Præposituram in Lubraniec, ut paulò superiùs tactum.

Verùm enimverò minora sunt ista, Cathedrales quippe Prælati, ut *sub Num. CV.* dictum, immo integri Ordines magnorum Virorum famâ permoti, & regularis observantiæ fragrantia allecti; in Congregationis Cracovien. sinum, se insinuare, & in ejus Canonicos transfigurari, omni conatu quo poterant, studuerunt. Nam Ordo BB. Martyrum de Pænitentia, per suum Generalem Præpositum Benedictum Rysienski, Virum multis & magnis virtutibus præditum, & ex Nobilissima Familia quodammodo agnata Magno Regi Joanni III. solicitavit sæpiùs Congregationis Crac. Prælatum Victorinum Wereszczynski, quatenùs in eorum susceptionem consentiret, nec Habitum usumq; vivendi communem, accedente beneplacito Summi Pontificis, & consensu Loci Ordinarij (quæ ille curaturum se appromisit) illis denegaret; verùm dum res perlata est ad Capitulum, ex multis & internis rationibus Patres, propositæ quæstioni nullatenus assentiri voluerunt.

CXLVIII. Ambiunt & Nostri Tremesnenses & Czervenecenses (contenti quidem Veste Canonica) saltem cohabitationem Nobiscum in Congregatione Crac. quorum aliqui ad justum tempus prolongaverunt incolatum Nobiscum, reliqui renovantes pristinam amicitiam, novis instantijs spiritualis Unionis correspondentiam efflagitant, ut patet ex subjectis Literis R̃ndissimi Abbatis Tremesnen. ad Nostrum Cracovien. Prælatum de anno 1704. *Perillustris & Reverendissime Domine D. & Frater Observandissime. Revificando antiquam praxim & consuetudinem Prædecessorum Nostrorum, circa petenda Suffragia, animabus Fratrum defunctorum, impendenda: insistendo ordinationi Literarum Unionis, inter Conventus Nostros conscriptarum, denuntio Perillustri ac Reverendissimæ Dominationi Vestræ, obitum piè defuncti Reverendi ac Religiosi Ioannis Wydzierzewski, olim Parochi Rysevien. Conventus Nostri Tremesnensis Professi, qui nuper in Conventu Nostro diem clausit ultimum. Cujus animam pijs Suffragijs Perillustris ac Reverendissimæ Dominationis, nec non totius Venerabilis Congregationis ex animo recommendo, meq; cum toto Conventu meo, ad exhibenda paria charitatis officia, defunctis Fratribus Conventuum Iurisdictioni Perillustris ac Reverendissimæ Dominationis, subjectorum, obstringo & maneo. Perillustris ac Reverendissimæ Dominationis Vestræ, intimus Frater, ac obsequentissimus servitor. Casimirus Brzechffa Abbas Tremesnensis.*

Adsunt & aliæ in eadem materia Literæ ab eodem R̃ndissimo Abbate, ejusdem anni, de die 10. 8bris, nec non Instantia Reverendissimi Michaëlis Ancuta Congregationis Czervenecen. Generalis Prioris, Varsaviensis Præpositi, de data 17. Januarij 1705. quæ nihilominùs properando ad finem intermitto.

ABC



ABCDARIUM NOTABILIORUM.

Ne quis quærendo *in vanum laboret*, numerum collateralem obſervet.

Conven-

PAR-



PARTIS I. OPERIS SUPPLEMENTUM.

MAgnum amorem pro eximio candore, Candido Præmonstratensium Ordini debet Nostra Lateranensis Congregatio, quam per suos Scriptores JOANNEM de Nigra VALLE millies citatum, & Fr. JOANNEM Le PAIGE in Bibliotheca Ordinis Cap. 3. & sequ. Lib. 1. tantis celebrat encomijs, acsi propriæ causæ susciperet patrocinium. Ibi enim ultra dicta jam à Nobis sub Num. 1. 5. 11. 14. 41. & 48. vel ex ipsa Veste linea (quam propriam Levitarum ac Apostolorum evidentissimis, ijsq; diversissimis Sac. Scripturæ & SS. Patrum probat documentis) deducit antiquitatem Canonicorum Regularium S. Augustini, qui nunc Lateranenses vocantur. Nec refert, quod ibi aliqualiter trahat in partem Præmonstratensium, Canonicos Regulares S. Augustini dicens, quòd Præmonstratenses non abjecerint lineam Vestem in exercitijs Ecclesiasticis; quia sic etiam Monachi omnes essent Canonici Regulares S. Augustini, ex quo utuntur lineis tegumentis, ministrantes Divinis. Præterea ipsemet Author Bibliothecæ, distinguit antiquiores Canonicos Regulares S. Augustini, Tùm Nomine, dùm suos appellat Canonicos Præmonstratenses, vel Canonicos S. Norberti; Tum etiam Habitu, dum interiorem & essentialem Habitum (qui est signum externum Professionis internæ, juxta D. Th. 2. 2. qu. 186. à 6. ad 2. & Concil. Trid. Sess. 24. Cap. 6. de reform. & est semper in usu) Canonicorum Regularium S. Augustini probat esse *Vestem lineam*, juxta dicta superius sub Num. 5. 8. 40. &c. 71. 73. jam verò Canonicorum Præmonstratensium dicit esse *tunicam laneam & niveam cum Scapulari candido & laneo.* Ibi etiam Cap. 4. Sect. 2. asserit Canonicos Sæculares ex Regularibus processisse, & Sect. 3. 4. & 6. Originem Canonicorum Regularium S. Augustini deducit amplissimè ab Apostolis. Sect. 7. expugnat Monachatum D. Augustini, & expungit Sermones ejus ad Fratres in Eremo. Sect. 8. Regulam S. Augustini scriptam docet pro Canonicis non Monachis. Sect. 10. tractat de universali Reformatione per Orbem Canonicorum Regularium, ejusdem S. P. Augustini, & multa alia in alijs Sectionibus subjungit, quæ minimè conveniunt Canonicis Præmonstratensibus S. Norberti, ut consideranti benè patebit, maximè quod S. Norbertus octavo sæculo post S. Augustinum, Suorum Institutum perfecerit.

Firmat prætacta fermè omnia Fr. FRANCISCUS à S. Augustino MACEDO, Ordinis Minorum Observantiæ Lusitanus, Magister Conimbricensis Lector bis Jubilatus, Professor Patavinus, Civis Venetus. Qui amore D. Augustini (prout ipse fatetur in Conclusione Libri: *Nec me pudet fateri; Augustino nimis volo, sed hoc ipsum nimis parum mihi videtur*) multa scripsit de illo Collat. 9. Different. 4. Cap. 3. & 7. Ubi eundem à Monachatu vindicat, & Canonici Instituti Professorem diversis rationibus & authoritatibus deducit. Ibidem Different. 3. Cap. 5. Regulam S. Augustini (quam non sine fundamento à Nostro Hugone de S. Victore in octo Capita velut in octo Beatitudines distinctam canonizat) cæteris tribus præfert. Et Collat. 8. Different. 1. Cap. 3. Sermones ad Fratres in Eremo velut abortivum D. Doctoris partum reijcit dum dicit: *Pudeat eos illis Sermonibus habere fidem, qui à doctis & emunctæ naris Viris reijciuntur. Mihi notum est spurios & spurcos esse, Augustini Nomine prorsus indignos. Miror vehementer, quod nonnullis probentur etsi &c.* Et pro hac assertione adducit Cardinalem Bellarminum Lib. Hist. Eccl. in Verb. Augustinus in Censura Tom. 10. ubi dictus Cardinalis ejusmodi Sermones in Eremo improbat & evertit, velut fundamenta Status Eremitici D. Augustini, & eundem Clericali restituit Ordini, dum ait: *Constat ex Possidonio Augustinum post Baptismum in Patriam redijsse ad propriam domum &c. Deinde factum Presbyterum Hipponen. Monasterium habuisse juxta ipsam Ecclesiam, ibiq; cum nonnullis Vitam Apostolicam duxisse, non utiq; in Eremo, sed intra Urbem. Deinde factum Episcopum cum Clericis suis vitam communem egisse: de qua re duo extant Sermones ejus.*

Idem Collat. 9. Different. 2. Cap. 2. Antiquitatem Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, multis argumentis & Summorum Pontificum Constitutionibus deducens concludit: *Quare primi ac soli Canonici Regulares initio Ecclesiæ viguerunt, à quorum perfectione, cùm, processu temporis nonnulli recedere cæpissent, Sæculares devenerunt, & frigescente illo ardore animi, & laxante se nervo industriæ, vota neglexerunt, & regularem obser-*


Observantiam deseruerunt. Quæ certè Sententia tam est vera quoad Primum, de prima Regularium Canonicorum Professione, ut mirer fuisse, qui docere ausi sint Clericos Sæculares fuisse primos, & antiquiores Regularibus in Ecclesia. Nullum quippe locum habent, uti proximè vidimus in Actibus Apostolorum, nec in Epistolis Pauli, ubi pedem ponant.

Idem ibidem Cap. 6. Ejusdem esse Instituti probat Canonicos Regulares cum eis, qui ab Apostolis sunt instituti. Et Cap. 5. unum probat, nempe quod Canonici Regulares antequam inducerentur in Lateranum, degebant ad S. Petrum in Vaticano, sub præsidentia Summorum Pontificum usq; ad tempora S. Sylvestri Papæ, ubi etiam multas alias eorum Ecclesias enumerat, prout & Bibliotheca Ordinis Præmonstratensis Sect. II. Alterum improbat nempe quod ab Orientalibus per Hilarium Pictaviensem, & Eusebium Vercellensem Episcopos, hauserint vivendi Apostolicè normam, quæ in Occidente Romæ præsertim, permanenter & sine interruptione à temporibus Apostolorum servabatur. Verùm quoad Primum Authori data fide, quoad *2dum* facili negotio solvo scrupulum. Quod non obstante permanentiâ Vitæ Apostolicæ in Canonicis Regularibus Romæ, eam mutuaverint Occidentales ab Orientalibus, non quidem quoad substantiam cum præfuerit ante, sed quoad modum, qui fuit magis exactus & commendatus, ut patet ex ipso Eusebio allegato à Nobis sub Num. 48. ad eum modum; quod licet Canonici Regulares præfuerint ante S. Gelasium in Lateranensi Basilica, nihilominùs à Gelasio dicuntur ibi instituti, scilicet observantioris formæ, ut annotavit Onuphr. Lib. de 7ptem Urb. Eccl. in Lateranen. *Gelasius Papa Clericos (qui ab arctiori vitæ Instituto Canonici Regulares vocati sunt, hi Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ more, secundum Augustini Regulam in communi vivebant) Laterani collocavit.*

Idem eodem Cap. 5. Primos Summos Pontifices scilicet S. Linum, Cletum, Clementem, Anacletum, Evaristum, Alexandrum, Sixtum, Thelesphorum, Higinum, Pium, Anicetum, Soterum, Eleuterium, Calistum, Urbanum, cæterosq; Romanos Pontifices usq; ad tempora S. Sylvestri Papæ ex Canonicis Reg. recenset. Et Cap. 4. S. Eusebium Vercellensem, S. Hilarium Pictaviensem, S. Martinum Turonensem, S. Gaudentium Ultrajectensem Episcopos. Item Collat. 8. Different. 2. Cap. 7. S. Alipium Socium D. Augustini & S. Anianum D. Marci Discipulum, Collat. 9 Different. 4. Cap. 6. §. 2. ex Ordine Canonicorum Regularrium ostendit.

Ultimo S. NORBERTUM fuisse Canonicum Regularem S. Augustini manifestè demonstrat Jacobus Vitriacus Cardinalis in Orientali Historia Cap. 22. citatus in Prologo Bibliothecæ Præmonstratensis Ordinis.

F I N I S.



Re-
fu-
oxi-

m.,
nici
ica-
ubi
Præ-
ila-
ſto-
tio-
a fi-
ntiâ
nta-
oad
gato
rint
tuti,
in.
vo-
com-

m.,
Higi-
ma-
let.
Tu-
t. 2.
m.,

feſtè
atus

